# THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ conſentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta
aliaſque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS
SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.
OBEUNTE
R. P. D. EMANUELE DE GREGORIO

Prodierunt in Cauſis ſub annis 1808., & 1809.
PROPOSITIS

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis,
ac aliis in Eccleſiaſtico Foro verſantibus
apprimè utilis, ac neceſſarius.

## TOMUS LXXIV.

TRIPLICI
INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCCXVI.

Typis Vincentii Poggioli Rev. Cam. Apost. Typographum

# INDEX
## ALPHABETICUS CAUSARUM

*Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt annis 1808., & 1809. per Diœceses dispositus.*

## N



## P



## R



## S



## T



## U

*Die Sabbathi 23. Januarii 1808. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

CIVITATIS CASTELLI COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

*An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis, & absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Negative quoad primam partem affirmative ad secundam celebratis missis decem ad formam fundationis.

PRÆNESTINA.

*Sess. 21. cap. 6. de Reform.*

*An, & quomodo sit providendum fundo Cappellaniæ in casu &c.*

Affirmative juxta votum Emi Episcopi facta obligatione per Exequtores testamentarios supplendi ex reliqua hæreditate in casu deficientiæ sortis, vel fructuum.

BARCHINONEN. MATRIMONII. Quamquam in Congregatione diei 24. *Januarii* 1807. Defensor Raymundi Borras tum novam recognitionem Viri, tum examen Testium inductorum post absolutum processum postulasset, & Defensor Matrimonii in suis Animadversionibus ut iterum exploraretur virginitas Mariæ Theresiæ, instetisset: Attamen EE. PP. novam tantum recognitionem viri in tertia propositione decrevere edito Rescripto = *Dilata, & fiat nova recognitio viri juxta instrutionem* = Instructio autem Archiepiscopo transmissa

*Sess. 24. cap. 1. de Reform.*

 hu-

hujusmodi fuit = *ut nimirum præfigat terminum unius mensis a die legalis intimationis computandum Marchioni Raymundo Borras de Lluria ad novam subeundam sui corporis recognitionem peragendam per alios Peritor ex officio deputandos . His vero Peritis committendum erit , ut in ipsa inspectione adhibeant* solita, *& licita artis remedia ad rectum judicium reddendum de ipsius Marchionis viri potentia , elapsoque prædicto unius mensis termino , sive acta ejusdem novæ recognitionis colligenda in omnibus juxta formam Constitutionis Benedicti XIV. De Miseratione , & præcipue cum interventu Defensoris Matrimonii in quolibet actu legali , sive acta contumaciæ ex parte ejusdem Marchionis quatenus indictæ recognitioni sese præstare recuset , nulla alia indulta dilatione ad eamdem S. Congregationem transmittet .*

Deputati fuere Periti ex Officio scilicet *Medicus Joseph Aloy* qui concludit = *che detto Cavaliere si è prestato a quanto si esiggeva da lui nelle ricognizioni : che nelle sue parti virili esiste vizio visibile , e palpabile; che è la mancanza dell'erezione del Pene , e conseguentemente di ejezzione seminale , che dette operazioni sono estinte , oppur paralitiche , rendendolo incapace di consumar matrimonio non solamente con vergine, ma neppur con qualunque altra donna , che tal malattia è a nativitate , e conseguentemente incurabile:* Alter Peritus *Dominicus Bover* affirmat = *da tutto ciò inferisco , che benchè il Signor Marchese ha le sue parti genitali esternamente ben conformate , le particolarità , che in quelle ho notate , e la mancanza assoluta di erezzione del Membro virile , nella quale sempre l'ho veduto, fanno sospettare con gran fondamento l'assoluta impotenza di detto Signore , senza che per il contrario possa ostare altra cosa , che verificare le erezzioni del Membro virile , che suppone , e che nè io , ne li miei compagni abbiam veduto non ostante tutte le diligenze pratticate.* Tertius Peritus *Carolus Nogues* nullum in virilibus Raymundi observavit vitium , *che coarguisse mala conformazione, ma bensì molta debolezza nel membro virile , per lo che non mi riuscì verificare l'erezzione di questo membro , e nemmeno fù asseguibile alli comprofessori l'asseguirla non solo nelle due occasioni , nelle quali si trovassimo uniti , ma nem-*

*nemmeno nelle altre visite, che separatamente da me gli fecero in distinti giorni, ed ora secondo che me l'hanno assicurato li medesimi: che osservai senzazione nella sudetta parte, ma non movimento, come se fosse una paralisi imperfetta, o privazione di moto, sintoma, che provenendo dall' adolescenza del Marchese sicuramente non potrebbe verificare l erezzione del membro, e gli riuscirebbe impossibile consumare il Matrimonio, ma non ho dati sufficienti per asserire, che vi sia in realtà un tale difetto nella persona di Sua Signorìa, benche non manchino gravi coagetture per crederlo*. Tandem Peritus *Joannes Argelagos* refert = *Siccome per la consumazione del Matrimonio sono precise la seminazione, ed erezzione del corpo, o membro virile, non essendosi le sudette potuto osservare a fronte delle ripetute, e diligenti inspezzioni, ed esami, mediante le quali concordemente alli citati professori l'abbiamo ricercato, ben comprendo, che il sudetto Don Raimondo Borras attualmente ha difettose l'erezzioni del membro virile per consumar l'atto venereo, della di cui durata, o tempo della sua esistenza, come quella della curazione asseguibile, e inasseguibile nulla io posso dire per esser un arcano riservato alla divina providenza, che tanto saviamente creò la natura capace di svanir domani quello, che oggi l'affligge*.

Post hæc Curia Episcopalis Barchinonensis instante Raymundo eumdem ad juramentum admisit, & testes ab ipso productos deponentes de signis viri potentiæ ab ipsis visis.

Hisce constat novus processus. Defensores Mariæ Theresiæ impressam distribuent *allegationem*, in qua contendunt dubitari amplius non posse *de non sequta consumatione*, postquam EE. PP. decreverunt solam recognitionem viri, non vero mulieris, licet eam postulasset Matrimonii Defensor. Ex hoc enim ipso patet, quod idonea habita sit jam facta exploratio mulieris ad probandam *non consumationem*, ut proinde hæc quæstio (quam tamen illustrant facto compendio argumentorum, quæ in præteritis actionibus adducta sunt) refricari amplius non possit. Impotentiam vero Raymundi saltem probabilem deducunt ex judicio omnium Peritorum, qui numquam in ipso viripotentiæ signa viderunt

Defensor ex officio super his censuram instituit, ut recogno-

gnoscere poteritis ex distribuendis *animadversionibus*. Defensor vero Rajmundi nil mihi exhibuit.

Queritur igitur.

*An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.*

In Decisis.

*Sess.21. cap.3. de Reform.*

FIRMANA REDUCTIONIS CANONIS. Rogati EE. PP. in Congregatione diei 27. Junii 1807. = *An, & in qua summa sit locus diminutioni Canonis* = responderunt = *Dilata, & scribatur Emo Archiepiscopo pro nova informatione, prævia nova Peritia ex officio, & transmissa partita Catastri Piani* =

Refert porro in sua *informatione* Emus Archiepiscopus = *ut clarius videant EE. VV., quæ aguntur inter Sacerdotem Joannem Hieronymum CatalinoVagnozzi, & Emphyteutas Bonorum spectantium ad simplex Beneficium sub invocatione SSmæ Trinitatis erectum in Priorali Ecclesia Oppidi S. Justi partim positorum in Territorio ejusdem Oppidi, partim vero in Agro contermino Montis Granarii, circa reductionem Canonis ad æqualitatem necessarium existimo, præmonere S. Congregationem de tempore initi Emphyteusis contractus, & de tempore, in quo petitur reductio. Posita hac temporum diversitate, luce clarior apparebit tum varietas Peritorum in æstimatione valoris Fundorum, tum diversitas redditunm illius temporis ab illis, qui nunc percipiuntur. Notandum itaque est, quod de tempore initi contractus, anno nempe 1802. currebat moneta vulgo ærosa, nunc vero agitur de moneta reali vulgo fina, ideo si Peritus Battistoni æstimavit valorem Fundorum pro scutis 2580. 50., & fructus annuos pro scutis 103.; nunc verò cum nihil dixerit de Prædiorum valore, & fructus tantum diminuerit ad scuta 74.; hæc diversitas ex eo oritur, quia loquebatur de moneta ærosa, nunc vero de mo-*

*moneta reali*. Tunc *generum pretia erant multo majora, quam nunc sunt, & ex hac diversitate causam habet ipsorum varietas in æstimatione. Ipse vero mandata EE. VV. exequens alium deputavi Peritum, nempe Cajetanum Giunchini, qui suam reddidit Peritiam, ex qua Terrenorum valor refert, non excedere ad præsens summam scutorum 1865. Addo insuper legales copias Catastrales, quæ summam conflant scutorum tantummodo 695. 10., adeoque si Peritus Giunchini valorem auxit in triplo, nihil de justa ipsius æstimatione dubitarem. Quod vero attinet ad Canonis reductionem in scutis 100., cum fructus non excedant scuta 79. juxta Peritiam Giunchini, & scuta 74. juxta Peritiam Battistoni, nil id mirum esse debet, dum Rector sub hac tantum lege præstitit assensum, & cum Emphyteutæ Marozzi aliquid de industria, & de melioramentis confidant; Hinc est, quod libenter tale onus suspiciant, quod tractu temporis in propriam utilitatem sperant versurum*.,,

Reassumpto itaque Folio diei 30. Maii 1807. in quo facti species enucleatur, vestrum erit EE. DD. deliberare.

*An, & in qua summa sit locus diminutioni Canonis in casu &c.*

Affirmative juxta votum Emi Archiepiscopi.

CIVITATIS PLEBIS TRANSLATIONIS PARÆCIÆ. Prope Oppidum *Panicale* est ruralis Paræcia SSmi Salvatoris *Ceraseti*, cujus populus hinc illinc torrentem *Tresa* habitat. Paræcia ejusmodi anno 1484. a S. M. Innocentio VIII. addicta fuit Conventui *S. Mariæ Novæ*; quem in Civitate Perusiæ tenent Patres Ordinis Servorum B. M. Virginis, qui paræciam administrabant per Vicarium Religiosum amovibilem ad Prioris, Patruumque nutum, cum quo Vicario unus, aut alter

*Sess. 21. cap. 4. & 7. de Reform.*

Re-

Religiosus in ædibus Parrochialibus manebat. Postquam vero Pontifex Innocentius X. ex Decreto *Ut in parvis* suppressit parvos Conventus, atque ad *Grancias* reduxit, migrarunt ab ædibus Parochialibus *Ceraseti* cæteri Religiosi, unusque tantum qua Vicarius amovibilis paræciam administrare, ædesque habitare perrexit. Anno vero 1682. jussu S. Congregationis revocatis ad clausira cunctis Religiosis Sacerdotibus, qui extra manebant, deputatus fuit Præsbiter Secularis, qui ab hinc semper Vicarii amovibilis munere functus est.

Modernus vigilantissimus Episcopus Civitatis Plebis, cum novisset eam ex Parrochianis *Ceraseti* partem, quæ habitat ultra torrentem *Tresa* destitui spiritualibus subsidiis, cum parochus rigente præsertim hyeme ad eam ob incomodum iter accedere non posset, *subsidialem* Paræciam constituit ultra Torrentem in Ecclesia S. Mariæ *delle Macchiæ*, eique Parochum assignavit, & instituit. Quoniam vero ædes Parrochiales Ceraseti sunt minus salubri situ positæ idem Episcopus proponit: *ut* Paræcia *Ceraseti* transferatur ad Ecclesiam S. Mariæ *delle Macchie*: ut hujus Parochi nominationem habeant Patres Servitæ, iique præstent stipendium illud quod Vicario *Ceraseti* dare solebant, atque exempti sint ab onere manutentionis Ecclesiæ: ut pars Parochianorum *Ceraseti*, quæ incolit regionem citra Torrentem addicatur vicinioribus Paræciis *di Panicale*, *e di Paciano*: ut Vicarius amovibilis *Ceraseti* quoad vivat exigat *decimas*, quas populus pensitat. Auditus est Procurator Generalis Ordinis Servorum, qui refert in suo *Voto = Patres conventus S. Mariæ Navæ, modo EE. VV. licentiam illis dent abdicandi Patronatum Parœciæ Ceraseti, & accipiendi Patronatum Ecclesiæ Parrochialis S. Mariæ delle Macchie ob rationes ab Episcopo adductas, huic mutationi consensum præstant sub conditionibus ab eodem Episcopo expositis, quibus duas alias adiiciunt ad præcavendas lites in posterum, & ad utilitatem Conventus omnino necessarias. Prima est, ut Ecclesia, domusque Parrochialis Ceraseti, terræque, si quæ sint, iis adjunctæ, remaneant prorsus in dominio Conventus, ita ut obligari nequeat ad Ecclesiam, domumque manutenendas, sed si commodum illi videbitur, possit eas prævia Ecclesiæ profanatione demoliri, cum hujus Fabricæ manutentio* *im-*

*impendium eidem conventui afferat. Secunda conditio est, ut Parochus Ecclesiæ S. Mariæ delle Macchie sit, ut fuit hactenus Parochus Ceraseti, Vicarius amovibilis ad nutum Prioris, ac Patruum S. Mariæ.*

Cum his conditionibus a Patribus Servitis interpositis repugnasset Episcopus in sua *Informatione*, Procurator Generalis altero ædito *Voto* negavit faciendam esse translationem, aut saltem expectandam esse vacationem. Omnia quæ Procurator Generalis reposuit contra translationem refellere studet Episcopus in *posteriori Informatione*. Rationes utrinque adductæ inferius recensentur; hoc scire antea præstat, quod Procurator Generalis in *secundo Voto* exponit scilicet = *terras, si quæ sunt, annexe Ecclesiæ Ceraseti annuum redditum dare, juxta id quod mihi retulit actualis Vicarius Parochus Ceraseti, scutorum circiter quindecim. Assignatæ autem fuerunt non pro commodo Parochi præter alia ipsius emolumenta, sed pro parte congruæ, & in hujusmodi assignatione computati fuisse videntur annui redditus plus minus viginti.*

Translationem Ecclesiarnm Parrocchialium etiam de jure patronatu permittit Tridentinum, si ruinosæ sint, neque ii qui tenentur eas reparare, sumptus facere possint ut ex Decreto in *Sess.* 21. *Cap.* 7. *De Reform.* Si vero ob locorum distantiam, sive difficultatem Parrocchiani sine magno incommodo ad Paræcias accedere nequeant, tum non translatio præscribitur, sed dismembratio, & novæ Paræciæ erectio etiam invitis Rectoribus ut ex altero Decreto *in citat. Sess.* 21. *Cap.*4. *De Reform.* Verum Sacra hæc Congregatio permisit translationes Ecclesiarum Parrocchialium, si incomodum sit Parrocchianis, ut ad eas accedere possent ut in *Parmen Translationis Paræciæ* 2. *Decembris* 1719. *& in Brictinorien Translationis Ecclesiæ Parrochialis* 14. *Decembris* 1783. Quare cum Ecclesia Parrochialis constituta in *Ceraseto* incomoda sit Parrochianis, qui habitant ultra Torrentem *Tresa*, & ædes Parochi in insalubri loco positæ sint, videtur concedenda translatio, & aliis Incolis cis torrentem consuli potest per dismembrationem, & unionem aliis vicinioribus Parrochiis *di Panicale*, atque *di Pacciano*.

Neque huic translationi, ac respectivæ dismembrationi, & unio-

unioni obstare videntur Patres Servitæ. Unica controversia est de conditionibus, quibus hæc fieri debeant. Nam Episcopus proposuit, ut Patres haberent in posterum jus nominandi Parochum S. Mariæ delle Macchie, ut eidem subministrarent ea, quæ Vicario *Ceraseti* dant, ut essent immunes ab expensis manutentionis ædium parrochialium, ut præsens Vicarius *Ceraseti* perciperet, quoad viveret, decimas. Has conditiones ab Episcopo propositas acceptant Patres Servitæ dummodo venia Apostolica interveniat. Sed præterea duas alias conditiones requirunt, *prima*, ut Ecclesia *Ceraseti*, ædesque parrochiales una cum annexis bonis maneant in dominio Patruum Servitarum, ita ut eas manutenere non teneantur, immo possint eruere, prophanata etiam Ecclesia. *Secunda* conditio est, ut Parochus S. Mariæ *delle Macchie* sit amovibilis, quemadmodum est Vicarius *Ceraseti*. Has tamen reprobat Episcopus in sua prima *Informatione* = *Ecclesia*, inquit, *Parrochialis S. Mariæ delle Macchiæ a me ipso instituta liberæ est omnino collationis. Sed cum in ea Rector institutus jam sit, is amoveri non potest. Amovibiles porro erunt, qui post ejus obitum nominabuntur. Quoad vero ad demolitionem Ecclesiæ Ceraseti pertinet, hæc demolitio permitti non potest, neque debet. Nam Confraternitas sæcularis in ea erecta est, cujus Rector est Parochus Ceraseti, & in posterum erit Parochus S. Mariæ delle Macchie. Hæc Sodalitas jus habet suos habendi Conventus in eadem Ecclesia, neque ratio ulla adest, cur transferri debeat, neque vero rustici omnes id permitterent. Prædicti Religiosi cum eadem Societate convenire poterunt super ejusdem Ecclesiæ manutentione quod fieri poterit mea insercedente mediatione, ne una ab alia parte gravetur. Terræ tandem si quæ sunt ad Parochum quocumque loco ille sit pleno jure spectant, nec ratio subest, cur eidem auferantur.*

His ab Episcopo oppositis ita respondit Procurator Generalis in suo posteriori *Voto* = *Ad primum quod ab Episcopo postulatur, ut præsens Parochus S. Mariæ delle Macchie ab eodem Episcopo libere institutus sit inamovibilis maxime cum sit etatis annorum sexaginta, & ultra, & promittitur Parochos Successores amovibiles futuros id nullo modo concedi posse videtur*, Primo, *quia alias tenerentur Patres S. Mariæ Novæ providere Parocho, quem*

*quem ipsi minime nominarunt*. Secundo *quia id nihil aliud esset, quam amplificare circuitum Pareciæ S. Mariæ delle Macchie, qui jam constitutus est sine ulla aut necessitate, aut utilitate*. Tertio *quia Patres Perusini litibus obnoxii forent, cum Parochus S. Mariæ delle Macchie instaret pro domo parrochiali, quæ inhabitabilis est, pro manutentione Ecclesiæ, pro multis aliis*. Quarto, *quia periculum esset, ne Parochi Successores iterum excitarent lites pro inamovibilitate*. Quinto, *quia Ecclesia, & Parœcia Ceraseti omnino perirent, cum cederent in compensationem aliorum Parochorum, quibus pars Parœciæ detracta est pro constituenda Parœcia S. Mariæ ad nemora*. Sexto, *quia etiam & actualis Vicarius Ceraseti, qui spoliatus remaneret, lites excitare posset in damnum Conventus. Quod attinet ad alterum, quo negatur ab Episcopo demolitio Ecclesiæ Ceraseti, quia Confraternitas ibi erecta est, quæ inde amoveri nequit, minime id subsistit*. Primo, *quia ablata inde Parœcia non apparet, cur remanere debeat Confraternitas, & ista ad novam Parœciam transferri a qua distat plusquam milliari spatio: Quis tunc usus hujus confraternitatis in loco deserto?* Secundo, *quia non constat hanc Confraternitatem habere jus faciendi suos conventus in Ecclesia Ceraseti ob aliam causam, quia illi Pareciæ inservit*. Tertio *quia perpetuæ essent lites cum confratribus pro manutentione Ecclesiæ*. Quarto, *quis tunc usus fieri posset Domus Parrochialis Ceraseti?*

Ad hæc ita Episcopus respondit in sua postrema *Informatione* = *Ajunt Parochum Ceraseti inscium esse hujus translationis, nec ea contentum. Ajunt parochos Ceraseti jam a seculo cum dimidio habitasse apud Ecclesiam Ceraseti. Utrumque sit nec ne veritati consonum judicare poterunt EE. PP. ex testimonio ipsius Parochi* (in quo affirmat se jubente Episcopo interpellasse Patres, num vellent Pareciam rransferre, qui nullum suis Epistolis dedere responsum, nec non sibi ædificasse domum, cum illa parrochialis hyberno tempore madida, & insalubris sit) *Indicaveram ipse translationem faciendam esse, cum primum vacaverit Ecclesia Parrochialis S. Mariæ Nemorum, idque non multis abhinc annis futurum, quia Parochus ad senectutem vergit. Deinde acsi translatio hoc temporis momento*

*facienda esset ajunt se alere debere Parochum S. Mariæ Nemorum ab ipsis non nominatum. Dicunt hanc traslationem, neque utilem neque necessarium esse: hoc vero est jura Episcopi invadere, idque contra ipsum Episcopum; Dicunt expectandum esse ad hanc petendam gratiam, quod utraque Ecclesia vacet, ac si Parochi morituri essent eodem tempore, atque ambæ Ecclesiæ vacatæ relinquendæ essent, quousque obtentum fuisset translationis decretum, eorumque nœniis datum esset responsum. Dicunt non constare Confraternitatem Ceraseti jus habere faciendi suos conventus in illa Ecclesia, acsi centum annorum præscriptio nullum jus conferret. Sibi fingunt infinitas propemodum lites, supposita hac translatione, orituras, quamvis satis cautum fuerit in mea petitione, ne orirentur. Cum vero cætera omnia ejusdem sint furfuris, id denuo ab EE. VV. peto, ut cogitare dignemini, quam malum sit cælum, sub quo ædificata fuit Ecclesia, & domus Parrocchialis Ceraseti, quandoquidem actualis Parochus coactus fuerit ad suam tutandam salutem sibi domum alio in loco, sed in eadem Parœcia sibi ædificare. Itaque unum faciant oportet Religiosi isti, vel domum Parrochialem pro futuris Parochis alio in loco ædificent, vel sinant Parrochiam istam cum omnibus suis juribus transferri suo tempore ad Ecclesiam S. Mariæ Nemorum.*

Ex his quibus postremam concludit Episcopus suam relationem, hoc unum ab eo adhuc desiderari videtur, ut per ædificationem Domus Parochialis in loco salubriori prospiciatur saluti non actualis Vicarii, qui propriam inhabitat Domum, sed Successorum. Veruntamen instante utraque Parte, ne promota petitio indecisa remaneat, ex hactenus hinc & inde deductis dignabuntur EE. PP. deliberare.

*An & quomodo sit locus translationi, & respective dismembrationi, & unioni in casu &c.*

Dilata & ad Emum Vincenti, qui dignetur rem perpendere, & votum suum aperire.

ARIA·

ARIANEN. DISPENSATIONIS Franciscus Xaverius Marziano a prædeccessore Episcopo suo Arianensi usque ad Lectoratus gradum promotus, a cæteris Ordinibus rejectus fuit, neque Dimissoriales consequi potuit a Vicario Capitulari, qui se impeditum putabat, quominus ad ordines admitteret eum, quem suus Episcopus arcuerat. Quare Martianus Neapolim petivit, & in Regio Clero adscriptus a Regio Cappellano ad reliquos omnes ordines gradatim promotus est sine *testimonialibus* Curiæ Arianen. contra ac Constitutione Innocentii XII. *Speculatores* præscriptum erat. Quamquam ex hoc esset suspensione irretitus; attamen celebravit, ut ipse asseverat, ignorantia ductus Constitutionum Apostolicarum. Sed monitus ab Ecclesiasticis viris ad suum Ordinarium confugit, ut a suspensione liberaretur. Id quod ab ipso obtinuit, dummodo a Sede Apostolica impetrasset dispensationem ab irregularitate, qua tenebatur ex eo quod suspensione irretitus, Sacris operatus esset. Preces itaque admovit ad S. Pænitentieriam, quæ dispensationem impertita est = *dummodo irregularitas revera sit occulta, & Orator abstineat a celebratione Missarum in locis in quibus notum sit ejus delictum, & pro opportuno remedio recurrat ad Sac. Congregationem Concilii*. Cum itaque ejus irregularitas nota esset, cessavit a celebratione Missarum, & apud vos EE. PP. dispensationem ab irregularitate implorat. Vicarius Capitularis in sua Informatione affirmat quod Defunctus Episcopus *non volle premuover l'Oratore agl'ordini ulteriori per alcune mancanze, per altro di non molto momento dal medesimo commesse in Seminario. Egli sostiene, che allorquando fù così ordinato Sacerdote non gli erano note le Apostoliche Costituzioni sull'assunto, e che in conseguenza credevasi di non esser incorso in veruna censura. Del resto posso assicurare, che il detto Marziano è fornito di sufficienti cognizioni per lo stato Sacerdotale, e munito di tutti li requisiti prescritti dal Sac. Concilio di Trento, non ho cosa da dolermi del di lui costume, ed ha subito una corrispondente mortificazione da me impostagli*.

*Sess.* 23. *Cap.* 33. *De Reform.*

Cum ex Costitutione Innocentii XII. *Speculatores* graviter defenditur, ne quis ab alieno Episcopo sine testimonialibus proprii Ordinarii ad Ordines promoveatur, & qui secus fecerint suspensione subiiciuntur, quamdiu pro-

prio Ordinario videbitur, tum ex jure est, ut in irregularitatem incidat, qui suspensionem irretitus celebravit ut *ex Cap.* 3. *De Pœnis* passim definivit Sac. Congregatio & præcipue *in Asculana Irregularitatis* 17. *Decembris* 1781. & *in Fanen Irregularitatis* 20. *Julii* 1805. Quare apertum est *Martianum* irregularitatem contraxisse, cum celebraverit suspensione irretitus, quippe qui sine testimonialibus proprii Episcopi a Regio Cappellano ordines suscepit. Et quamquam Cappellano Regio privilegium sit, ut ordinare possit illos, qui Regio Clero adscripti sunt; attamen id ex Constitut. *Convenit.* S.M. Benedicti XIV. obtinet, quatenus ii, qui sunt adscripti, proprii Episcopi testimonialem afferant.

Videant igitur EE. PP. num subsit causa, cur dispensandus sit. Non contemptu legum Ecclesiasticarum, sed ignorantia fatetur Orator se preteruisisse testimoniales proprii Episcopi, atque ubi ei exploratum fuit se in eas peccasse ad proprium Episcopum confugisse, & a celebratione cessasse. Cæterum Episcopus testatum facit eum habere *tutti li requisiti prescritti dal Concilio di Trento ed e fornito di sufficienti cognizioni per lo stato ecclesiastico, e non ho cosa da dolermi del di lui costume, ed ha subito una corrispondente mortificazione da me impostagli*. Ex his se idoneum putat Orator, qui a Vobis EE. PP. dispensationem, rehabilitationemque consequatur.

Dubium proponitur:

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione, & rehabilitatione in casu &c:*

Affirmative imposita salutari pœnitentia arbitrio Ordinarii.

*Ses. 24. cap. 12. de Reform.*

CINGULANA. Postremis Tabulis anni 1713. Nicolaus Vannuzzi legavit Cappellaniam perpetuam, sed mere laicalem post obitum suæ uxoris erigendam in Ecclesia Oratorii S. Philippi Neri, atque onus unius Missæ in singulas hebdomadas imposuit. Jussit porro = *che il jus di nominare il Cappellano spetti in perpetuo alli RR. Preti della Congregazione dell'Oratorio, i quali abbia-*

*no*

*ito da eleggere un Cappellano ad nutum amovibile della medesima Congregazione, o altro Sacerdote =.* Profundo vero Cappellaniæ reliquit Prædium cum bonis annexis in *Contrada del Pozzo = de quali Beni il Cappellano pro tempore di detta mia Cappellania debba pigliarsi il frutto =.* Anno 1759. defuncta Hærede, PP. Oratorii die 13. Martii venerunt in possessionem Fundi pro Cappellania destinati, & consentientibus omnibus Individuis tunc in Congregatione existentibus decretum fecerunt, ut Cappellanus semper esset Præfectus Sacrarii, cui eleemosyna unius julii solveretur, & reliqui Cappellaniæ fructus, qui attingebant vix annua scuta *viginti* cederent in utilitatem Ecclesiæ. Ab hinc semper ita factum est, licet nulla intervenisset Apostolica venia, & PP. Oratorii Fundum Cappellaniæ administrantes, eumdem auxerunt emptis nonnullis prædiolis eidem Fundo contiguis, ut ex præsenti redditu percipiant annua scuta *quadraginta*. Sed Modernus Rector Congregationis Præsbyter Joseph Palozzi verens, ne rite hæc facta sint inconsulta sede Apostolica, implorat sanationem quoad præteritum, & approbationem illius decreti quoad futurum. Episcopus instantiæ favet, ait enim, *cum quisque juri suo cedere valeat, ideirco PP. Congregationis decernere potuerunt anno 1759., quemlibet ex ipsis, qui Cappellanus nominatus extitisset, unum dumtaxat julium percipere debere pro unaquaque missa. Quod autem pertinet ad cæteros Cappellanos inposterum electos, vel præsumi debet laudatum Decretum rescivisse ab ipsis Patribus in actu electionis, illudque simul approbasse, vel admissa eorum ignorantia, eidem sese subscribere non recusassent, si rescivissent, cum in casu renuentiæ cæteri Patres illos Cappellanos minime elegissent*. Proposita hæc Causa fuit in postrema Congregatione, & vos eam ad *Folium* ablegastis.

Obstat sanè Testatoris voluntas, & juris dispositio. Nam Testator onus celebrationis imposuit Cappellano, voluitque, ut ipse = *debba pigliarsi il frutto di detta Cappellania* =. Quare ejusdem fructus non potest Congregatio percipere, & eleemosinam manualem Cappellano solvere. Hoc enim ex jure permissum est, quando ipsi Ecclesiæ, in qua fundata est Cappellania, injungitur cura celebrationis ut tradunt *Card. Lugo disput.* 21. *de*

*Eucharist Sect.* 2. *num.* 30., *Aversa quæst.* 11. *de Eucharist.* 7. 17. *Tamburin. Opuscul. de Sacrific. Miss. lib.* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 10., & alias definivit Sacra Congregatio *in Neapolitana Eleemosynæ Missarum* 26. *Novembris* 1803. Minimè vero licet, quando Testator jussit, ut stipendium tradatur Cappellano, cum ex decretis Sacræ hujus Congregationis ab Urbano VIII., & Innocentio XII. approbatis super *celebratione Missarum*, nefas sit majorem eleemosynam accipere, & minorem pro celebratione tradere. Neque probanda videntur ea, quæ in precibus afferuntur, ut approbatio concedatur, scilicet quod Cappellanus recipiat compensationem in expensis, quas Congregatio Cingulana facit, dum ei sive linteamina, sive pharmaca subministrat, quodque Fundum Cappellaniæ suo sumptu administravit, & coluit, & auxit. Nam quæ subministrat Congregatio, omnibus reliquis Oratorii Patribus subministrat, non vero uni Cappellano, ut compensetur de fructibus Cappellaniæ, quos ipse non percipit. Expensæ verò pro administratione, & cultura tantæ esse non possunt, ut dempta eleemosyna unius julii pro Missis annuis quinquagintaduo absumant omnes fructus Cappellaniæ. Si verò Congregatio auxit fundum, poterit ad summum percipere fructus, qui ex hoc ipso augumento veniunt.

Verumtamen Præpositus Oratorio Cingulano sanationem, & approbationem Decreti idcirco postulat, quia optimè novit illud per se subsistere non posse. Videndum itaque an justa concurrat causa, ut petitioni annuatur. Sane Testator nedum jus nominandi Congregationi Oratorii reliquit, sed etiam ejusdem Præsbyteris passivam vocationem. Quare sicut Congregatio poterat semper Præsbyterum Oratorii in Cappellanum eligere, ita Præsbyteri, quorum erat jus passivæ vocationis, poterant renunciare perceptioni fructuum Cappellaniæ. Nullo enim Juris Canonici loco vetitum est Cappellano condonare majus stipendium a Testatore constitutum, quando nullum in condonatione pactum simoniacum intervenit. Abest vero in re præsenti omnis simoniæ suspicio, cum Cappellania addicta non fuit personæ, sed muneri Præfecti Sacrarii. Quare cum Præsbyteri Oratorii consenserint in Decretum anni 1759., quo eligebantur pro Cappellanis Præfecti Sacrarii pro tempore, soluta tamen julii

unius

unius eleemosina, renunciasse videntur majori stipendio, & Successores, qui nunquam reclamarunt, æquè ratum habuisse præsumi debet decretum hujusmodi. Quare ex hac condonatione erumpit causa, cur quoad præteritum concedatur sanatio, & imposterum probetur decretum, præcipuè cum fructus, quos percipit Congregatio ex Cappellania dempto stipendio pro celebratione Missæ erogentur in sublevanda angustia rei familiaris ipsius Congregationis. Videant igitur Emi PP., num precibus annuendum sit pro sanatione, & approbatione decreti, aucta tamen eleemosyna Cappellano celebranti ad manualem currentem.

Dubium proponitur.

*An, & quomodo sit locus sanationi, & approbationi Decreti anni* 1759. *in casu &c.*

Affirmative quatenus conferatur Præsbitero Osatori facto verbo cum SSmo.

FIRMANA. Operarii Cathedralis Firmanæ (ii nempe, qui æconomicæ administrationi pro implendis piis Operibus Metropolitanæ infixis præsunt, suamque operam præstant) per publicum instrumentum rogatum die 3. Junii 1797, scuta *sexaginta* acceptarunt in schedis nummariis, quæ donavit Joseph Dionisi, atque impetrata venia ab Archiepiscopo sese obligarunt ea scuta *sexaginta* investire, *e di far celebrare cinque Messe annualmente, ed in perpetuo negl' ultimi cinque Venerdì precedenti la quaresima nell' Altare del SSmo Crocefisso con doversi un tal obligo descrivere in tabella, e con di più sia tenuta là detta Operaria di dare per la funzione, che suol farsi in detti ultimi cinque Venerdì libre due di cera bianca.* Quamquam hoc onus hactenus impletum fuerit; attamen nunc Operarii ejusdem abrogationem postulant idcirco, quia exiguam illam summam vilescentium cædularum investire non potuerunt, eamque in communi naufragio amiserint. Exequutor Testamentarius Joseph Dionisi interea defuncti abrogationi Legati non repugnat, & Eminentissimus Archiepiscopus instantiæ favet, *tum quia summa legata non ex culpa periis*

*Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.*

*riit*, *sed ex circumstantiis quibus occurri non poterat*, *tum quia Operariæ conditio ea est*, *ut revera ære suo ad legati oneris*, *tametsi sit tenue*,*exequtionem prosequendam minime sit apta* . Addit præterea , *impensa vere nacessariaad ipsa onera subeunda julios duodecim* , *& ad summum quindecim resposcit cum plus* , *minusque a ceræ valore pendet* . *Contra vero reditus annuus*, *qui ex summæ legatæ investimento haberi poterat julios triginta secundum morem tum vigentem produxisset* . *At hac ætate* , *cum in Cedulis legatum fuerit solutum* , *nec julios quidem decem dedisset propter illam reductionem* , *quam notissima lex imperavit* . Vestro jusso hæc causa , quæ *in præterita Congregatione* relata fuit *per Summaria precum* , nunc in *Folio* refertur .

Agitur de onere per contractum acceptato , interveniente venia Archiepiscopi , & quidem de contractu utili , cum summa donata dare posset fructus in annuis scutis *tribus*,& onus requireret impensam scuti *unius* & obolorum *quinquaginta*,ac propterea omnimode implendum erit , nec abrogationi locus esse videtur, ut definivit Sac. Congregatio *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790. , *& in Æsina Reductionis Onerum* 15. *Januarii* 1803. Neque si periit fundus , idcirco abrogandum videtur onus . Nam si summa donata periit , aut culpa periit ipsorum Operariorum , aut ex casu fortuito . Inverosimile enim videtur , quod a die 3. *Junii* 1797. quæ data fuit summa scutorum *sexaginta in cedulis* , nullo modo investiri potuerit. Licet enim tum *cedulæ* jam vilescerent , nonnisi post annum e comercio sublatæ fuerunt . Immo interea temporis post Ædictum S. M. Pii VI. non adeo erant opinione hominum abjectæ , & facile commutabantur in pecunia plateali . Non itaque abesse videtur culpa Operariorum, si illa summa licet in cedulis perierit . Si vero casu fortuito summam illam amissam dicamus , tunc sane cum ex contractu donationis , & ex sequuta traditione dominium illius summæ in Operarios transierit , sane casum fortuitum ipsi ferre debent , neque ex hoc a suscepta obligatione liberantur .

Rejicienda itaque videtur petita abrogatio oneris . Sed quoniam si Operarii hanc summam investissent , ejusdem reductionem postea tulissent , idcirco iisdem reductio quo-

quoque oneris indulgenda videtur. Affirmat Archiepiscopus ex summa reducta percipi vix posse julios *decem*. Pro eleemosina Missarum *quinque* in annos singulos requiruntur oboli *septuaginta quinque*. Quare videant EE. PP. num firma relinquenda sit celebratio Missarum, & reducendum onus præstationis ceræ. Adeo vero tenuis est summa obolorum *septuaginta quinque* ut Operarii, licet præmantur angustia rei familiaris, eam ferre posse videantur.

Dubium proponitur

*An sit locus abrogationi oneris, seu potius, & quomodo reductioni in casu &c.*

Non proposita cum sequenti

SPOLETANA PERMUTATIONIS. Sacerdos Aloysius Schinetti possessor simplicis Beneficii sub invocatione S. Antonii in Ecclesia Colleggiata Montis Falci postulat, ut fas sibi sit Prædium ad Beneficium spectans in vocabulo *S. Martino* permutare cum alio prædio in vocabulo *il Fonte*, quod pertinet ad Augustinum Settimi. Periti referunt Prædium *S. Martino* esse in quantitate *Starorum centum*, ejus valorem constituunt in scutis *centum nonaginta uno*, & obolis *quinquaginta*, fructum vero annuum in scutis *septem*, & obolis *vigintiquinque*. Prædium vero *il Fonte* attingere quantitatem *starornm quadragintaquatuor*, & valorem scutorum *centum nonaginta quatuor*, & obolorum *triginta*, fructum annuum ad scuta *septem*, & obolos *nonaginta quinque* ascendere. Ex his Emus Episcopus putat utilem futuram permutationem. Nam affirmat quod Beneficiatus annuum fructumPrædii *raro perc'pit. Prœdia vero permutanda adhibitis a me diligentiis, libera esse ab omnibus oneribus, & hypothecis compertum habui. Inficiari quidem nequit terrena retrocedenda a Septimio, quamvis in mensura minora, meliora tamen esse, & uberiorem futuro tempore fructum redditura tum ra-*

*Sess.24.Cap.7. de Reform.*



*tio-*

*tione arborum insertarum , quam ratione terræ ad canabis culturam aptæ . Hinc experti , probique viri contractum hunc in evidentem Ecclesiæ utilitatem cedere affirmant .*

Nihilominus suspiciosa videtur hæc permutatio . Nam quantitas Terreni Beneficii in *Staris centum* longe superat quantitatem Terreni , qui ad Septimium pertinet in Staris *quadraginta quatuor* , valor autem hujus superat valorem Prædii Beneficii in scutis *duobus* , & obolis *quinquaginta* , Beneficiatus vero in annuo fructu lucrifaceret obolos *septuaginta* . Quare pusilla hæc utilitas est e conspèctu illius quantitatis terreni , quam Beneficiatus amittit . Utilitas itaque major est in spe uberiorum fructuum , qui ex prædio Septimii colligi poterunt . Sed hæc spes pendet a diligentiori cultura , proptereaque si diligentius colatur Prædium quod spectat ad beneficium , majores ex eo fructus percipientur , cum major sit terreni quantitas . Nihilominus cum Eñus Episcopus censeat utilem permutationem vos consulendos puto EE. PP. , quid in hac re vobis expedire videatur .

Dubium proponitur .

*An sit probanda permutatio , ita ut sit concedendum Beneplacitum in casu &c.*

*Die*

*Die Sabbathi 20. Februarii 1808. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

FIRMANA.
*An sit locus abrogationi oneris, seu potius, & quomodo reductioni in casu &c.*

*Sess.24. cap.1 de Reform.*

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam firma remanente celebratione Missarum ad formam fundationis.

SPOLETANA PERMUTATIONIS.
*An sit probanda permutatio itaut sit concedendum Beneplacitum in casu &c.*

*Sess.24. cap.7. de Reform.*

Negative.

PERUSINA TRANSACTIONIS. Collegium, quod Perusii est appellatum olim *Sapienza Vecchia*, deinde Collegium Hieronymianum, nunc vero Collegium *Pium* possidet Fundum apud Transimenum, quem ab immemorabili plures tenuere Coloni. Ex transactione inita die 28. Augusti *anni* 1674. conventum fuit, ut fructus di-

*Sess.21. cap.5. de Reform.*

dividerentur inter Collegium, & Colonos, ita ut pro olivis duo, pro musto tres ex quinque partibus Collegio traderentur, pro frumento vero, aliisque segetibus dimidia pars. Glandes vero integre pertinerent ad Colonos, ita ut unum suem crescerent a Collegio emendum, & cum colonis dividendum. Factum porro est, ut Coloni fundos suos quercubus ita conseverint, ut aucto in immensum earum numero multum inde caperet detrimenti Collegium, cum alii fructus industriales, ex frondescientium arborum umbra Solis beneficio privati, diminuerentur. Cum Moderatores Collegii frustra studuissent, ut modum adhiberent Coloni in satiooe quercum, propria authoritate *anno* 1783. uno tempore, atque uno uno veluti ictu fere duo arborum millia in terra prostravere.

Spolium reclamarunt Coloni, illudque *per viam nullitatis* a Collegio purgandum decernit Vicarius Generalis Perusinus. Ab hinc lis sustentata est inter Colonos, & Collegium. Hoc enim ad A. C. provocante a Sententia Vicarii Generalis, deputati fuerunt Periti, qui damnum ab incisione arborum Colonis illatum liquidarent, iisque dessidentibus electus fuit Peritior. Actum tandem est de Transactione, & tandem duo stipulata fuere diversa Instrumenta Transactionis, reservata venia Apostolica, alterum die 24. Martii 1807. inter Collegium, & omnes Colonos generatim; alterum die 28. *Augusti* 1807. inter Collegium, & Marchionem Hectorem Florenzi, qui unus, isque præcipuus inter Colonos est. Approbationem utriusque Transactionis postulant nunc Moderatores Collegii. Episcopus in sua *Informatione* refert, qui sint contractus hujusmodi Transactionis. Si Transactionis utriusque tabulas ad litteram exscriberem, ad volumen cresceret *Folium*, propterea que summas tantum exponam.

In Transactione diei 24. Martii 1807. Coloni renunciarunt judicio Spolii, & Collegium loco damnorum rependere intra biennium proximum eisdem promisit expensas in lite factas in summa scutorum 976. 07. Conventum præterea est, ut arbores quercuum coercerentur ad certum numerum, atque retineretur prope limites fundorum, & certis a Perito designatis locis, atque Collegium promisit exigere responsionem fructuum colligendorum *in pla-*

*planitie*, seu *sub via* usque ad annum 1825. non pro medietate, ut erat conventum in Transactione *anni* 1674., sed pro tertia parte. Frondes *Mororum* Colonis integrè addicuntur, præfinito tamen eorum numero numquam adaugendo. Collegium suscepit onus suo sumptu conficiendi cabræum. Hæc sunt, quæ a Collegio conventa fuere in hac Transactione a præcedenti Transactione *anni* 1672. difformia, cætera vero eidem Transactioni sunt consona, sed multa explicata sunt ad removendos abusus. Sed quoniam inter Colonos aderat Sacerdos Sperandio, qui multum sategit, ut cæteri Coloni in Transactionem convenirent; hic peculiarem fecit conventionem tam nomine proprio, quam Cappellaniæ Cricchi ab ipso possessæ, atque sibi a Collegio stipulavit cessionem petii terræ vocabulo *S. Mariæ Ancaellæ* mensuræ *hæminæ unius*, & *tabularum viginti septem*, cujus valor liquidatur a Peritis in scutis 57. In altera vero Transactione inita die 28. *Augusti anni* 1807. inter Collegium, & Marchionem Hectorem Florenzi, hic, qui & ipse unus ex Colonis erat, bona hæc in coloniam retenta cessit Collegio, & alia bona in permutationem accepit, in quibus lucratus est scuta 57. 30. & præterea accepit scuta 410. titulo emendationis damnorum, quæ ex incisione quercuum tulit.

Episcopus vero ita sententiam suam dicit. *Censeo, quod Transactio diei* 24. *Martii inter Collegium, & Colonos, in qua nonnihil, ceu Transactionis natura requirit, hinc inde remittitur, in qua præcipua Colonorum prætensio, emendatio scilicet damnorum ex Arborum incisione provenientium, titulo amicabilis compositionis favore Collegii condonatur, in qua multa provide pro evitandis litibus, ac pro augendis Collegii redditibus maxime in futurum stabiliuntur, tamquam Collegio utilis omnibus spectatis circumstantiis existimari queat. Illa vero diei* 28. *Augusti, utpote quæ unius tantum partis (pauca enim illa, quæ in Instrumento ab Hectore Florenzi dicuntur Collegio remissa, nil aliud equidem sunt quam leves admodum, longeque petitæ ejusdem prætensiones) solidam respicit utilitatem, quæque nil favore Collegii neque quoad futurum promisit, cum inter partes justitiæ cultricis prætensa utilitas in eo consistens, quod Marchio Florenzi Colonus esse desierit; vix attendi mereatur, tamquam jacturam po*

*potius, quam Collegii utilitatem præseferens, improbanda, ac respuenda videatur.* Rogata quoque est sententia Emi, & Rmi Cardinalis Consalvi. Hujus elucubratissimum Votum exponam sub duplici Dubio, in quo de una, alteraque Transactione erit agendum.

I. Dubium respicit Transactionem stipulatam die 24. Martii anni 1807. inter Collegium, & Colonos. Censet porro Emus Relator eam justam esse „ quia reapse a Transi-
„ gentibus ob rem controversam sit aliquid hinc inde re-
„ missum. Quum enim de Spolio lis esset ob recisas
„ quercus, & judicium Spolii ex bono jure definiri de-
„ beret propter cumulationem petitorii cum possessorio
„ a Collegio impetratam, tria pati Collegium potuis-
„ set, si judicatum aliquando fuisset de suo malo jure,
„ nempe refectionem expensarum judicialium, & ex-
„ trajudicialium, emendationem damnorum Colonis
„ ex rescisione illatorum, ac denique liberam germina-
„ tionem quarumcumque quercuum in quibuslibet fun-
„ dorum partibus. Quandoquidem cumulatio petitorii
„ efficere potuit, ut de spolio judicari deberet dependen-
„ ter a bono, vel malo jure Collegii, non autem ut
„ refectio expensarum, & emendatio damnorum, quæ
„ sunt Spolii effectus, delerentur, si de bono Collegii
„ jure minime constitisset. At vero per Transactionem
„ Coloni remiserunt favore Collegii jus potiundi li-
„ bera quercuum germinatione, quia pactis *tertio*, &
„ *septimo* præfinitus est numerus quercuum perpetuo
„ detinendarum, & præfinita item sunt loca, quibus
„ absque damno frugum, & agrorum detineri pote-
„ runt; Remiserunt etiam emendationem damnorum,
„ prout vel jam a Peritis liquidata fuerant, vel rectius
„ liquidari potuissent. Collegium e contrario remisit
„ expensas litis judiciales, & extrajudiciales, quas Co-
„ lonis reficere pollicitum est in *pacto* secundo; remi-
„ sitque pariter sextam partem fructuum colligendorum
„ in planitie, seu *sub via* usque ad annum 1825.,
„ quippe quia convenit in eodem pacto secundo, quod
„ usque ad prædictum annum non medietas fructuum,
„ seu tres sextæ partes, ut antea, sed tertia pars tan-
„ tum, idest duæ sextæ partes Collegio a Colonis dari
„ debeant.

„ Mutua hæc jurium remissio, qualiscumque demum ea
„ foret, Transactionem faceret justam, & adprobatio-
„ ne

„ ne dignam ; Quandoquidem dubius litis eventus,
„ quem nemo metiri facile potest, omnem fere a Tran-
„ sactionibus læsionem excludit, & mutuis remissio-
„ nibus æqualitatem affert : Verum tanta re est in hac
„ Transactione mutuarum remissionum quantitas, ut
„ non parum lucri a Collegio factum esse videatur.
„ summa quippe expensarum, quarum refectioni se
„ subjecit Collegium, vix extendit ad scuta nongenta
„ septuaginta sex singulis distribuenda Colonis intra
„ biennium pro rata respectivæ Coloniæ ; Summa e con-
„ trario damnorum, quorum emendationi valedixe-
„ runt Coloni, ex judicio Peritioris ab A. C. Met depu-
„ tati plura scutorum millia complectitur. Sexta illa
„ pars fructuum colligendorum in planitie fundorum,
„ quam Collegium amittit spatio annorum octodecim,
„ nempe usque ad annum 1825., satis compensatur a
„ majori quantitate sationum, & fructuum, quæ tum
„ in planitie, tum in montuosa fundorum parte habebitur
„ ob diminutionem quercuum, quam Coloni promit-
„ tunt. Præterea remissio sextæ partis fructuum tem-
„ poranea est, ac finem habet post annos octodecim :
„ E contrario lucrum ex diminuta quercuum numero
„ precedens perpetuum erit. Certa hinc est utilitas fa-
„ vore Collegii, proindeque Transactio tanto magis di-
„ gna est, quæ ab EE. VV. approbetur.

„ Nec sanè utilitatem Transactionis diminuunt cætera
„ pacta, quæ usque ad numerum viginti quinque con-
„ venta fuerunt ; Nam pleraque mutuum respiciunt
„ Collegii, & Colonorum commodum, ut sunt pacta
„ respicientia gratuitum usum frondis mororum, Prato-
„ rum, hortorum, jurispascendi in Sylva magna, item
„ jurislignandi, prælationes in locationibus, vel etiam
„ alienationibus alicujus Coloniæ, atque alia multa hu-
„ jus generis. Omnia enim hæc vel in Transactione an-
„ ni 1614. constituta jam fuerant, vel jamdiu erant usu
„ recepta, in hac autem ideo scripta sunt, ut melius
„ explicarentur, ut abusus removerentur, ut modus
„ aliquis opponeretur, quæ utrique parti Collegio, &
„ Colonis commodum afferunt. Sunt tum alia, quæ
„ Collegio evidenter favent, quibus nempe cavetur de
„ modo separandi, & colligendi fructus diversos, ne
„ illorum quantitas lateat Collegium : quod si conve-
„ nit, ut designatio Catastri, seu Cabræi fieri debeat
sum-

„ sumptibus Collegii, jure optimo ita convenit, quia
„ Cabræum soli Collegio utile est.

„ Non moror autem cessionem fundi in vocabulo *S. Mariæ*
„ *Ancaellæ* peculiariter factam Sacerdoti Joanni Spe-
„ randio Colono: Hæc enim terrulæ trium stariorum
„ valoris scuorum triginta septem, & obul. 50. largitio
„ fieri potuit uni ex majoribus Colonis pro compensatio-
„ tione gravioris damni, quod passus est ex eversione
„ quercuum; Adeo autem tenuis est, ut adimere ne-
„ queat utilitatem Transactionis pro Collegio superius
„ demonstratam.

II. Dubium spectat ad Transactionem initam die 28. Augu-
sti anni 1807. inter Marchionem Florenzi, & Collegium.
De hac ita disseritur Eminentissimus Relator in voto =
„ Collegium huic diviti Colono rependit expensas litis
„ pariter, ac cæteris, & citius imò, quam cæteris,
„ quia Collegium suscepit obligationem solvendi ratam
„ expensarum ei debitam infra tres Menses, cum re-
„ liqui expectare biennium debeant: Persolvit item,
„ atque in ipso actu stipulationis numeravit Collegium
„ eidem Florentio scuta decem supra *quatuorcentum*, &
„ obulos *quinquaginta novem*, quorum *scuta tercen-*
„ *tum*, *& sexdecim cum obolis* 59. sunt pretium dam-
„ norum liquidatum a Cristophoro Bartoli Perito Agri-
„ mensore concorditer a Partibus deputato; scuta verò
„ *nonagintaquatuor* sunt pretium lignorum recisorum,
„ quod Bartolus negat competere debuisse Colonis,
„ quodque Florentius, contradicente eodem Bartolo,
„ habuit titulo majoris prætensi damni ea omissa nego-
„ ciatione suum ob quercus recisas: Tandem permutavit
„ Florentius quædam bona sua denominata *Porto di*
„ *Bordelaccio* valoris *scutorum* 183., *& obul.* 55. cum
„ septem fundis Colonicis ad Collegium pertinentibus
„ valoris scutorum 230., *& obul.* 96., & summa pre-
„ tii scutorum *quinquaginta septem*, *& obul.* 30. super-
„ excedens Florentio donata est a Collegio.

„ In Transactione hac Florentius nihil penitus remittit,
„ & habet imo aliquid non modicum supra id, quod vi-
„ ctor in judicio consequi potuisset: Quandoquidem
„ damna sarciuntur in scutis nonaginta quatuor præter
„ id, quod æstimavit Peritus hinc inde electus, & ad-
„ ditur insuper mantissa scutorum 57. *& obul.* 30. sca-
„ tens ex permutatione bonorum. Neque igitur justa,

„ ne-

,, neque utilis Pio Loco dici potest hujusmodi Transa-
,, ctio, ac proinde indigna est, quæ confirmetur.
,, Quin liceat hanc tueri Transactionem, vel ex eo quod
,, Peritior ab A. C. Met deputatus estimaverit damna
,, multo majoris, vel ex eo quod Marchio bene me-
,, ruerit de Pio loco in promovenda utili Transactione
,, cum reliquis Colonis inita. Quantacumque enim fuerit
,, æstimatio damnorum a Peritiore facta eidem præfe-
,, renda esse videtur hodierna ædita ab Agrimensore
,, Bartolo, quippe qui fuit communi partium consensu
,, deputatus. Quidquid verò authoritatis adhibuerit
,, Florentius ad Colonos reliquos inducendos ad Transa-
,, ctionem diei 24. Martii, nec pretio rependi debere
,, videtur, nec tanti valere potest, quantum à Colle-
,, gio datum eidem fuit in hac altera Transactione.
,, Quandoquidem prior illa, licet justa, & utilis Colle-
,, gio, talis tamen fuit, ac Coloni æque, ac Modera-
,, tores Collegii exoptare illam debuerint, quum facta
,, fuerit in tempore, quo per cumulationem petitorii
,, cum possessorio jura Colonorum in maximum discri-
,, men perducta fuerant.
,, Non admodum autem refert, quod, hac Transactione
,, rejecta, reviviscat judicium cum uno Marchione pe-
,, ragendum, quod pari sumptu Collegium prosequi
,, posset etiam adversus reliquos Colonos. Nam
,, adversus Marchionem lis agi poterit fere sine
,, ullo periculo; quum impossibile, aut saltem
,, difficillimum sit, quod illi tantum a Judice de-
,, tur; quantum ex Transactione perciperet. Res
,, autem non ita se haberet in judicio contra Colonos re-
,, liquos, qui a Judice obtinere possent etiam aliquid
,, amplius eo, quod ab eorum Transactione quæsiverunt;
,, licet minus quoque habere possent, si per definitio-
,, nem boni juris Collegii causa caderent.
,, Hæc sunt, quæ me propemodum impellunt, ut cum
,, Episcopo opiner, priorem cum Colonis conventam
,, Transactionem esse adprobandam, & posteriorem
,, cum Florentio concinnatam reiici debere, quæque
,, tamen prudentiori, ac Sapientissimo EE. VV. judi-
,, cio rectius discutienda relinquo.

Gemina hinc proponuntur Dubia:

I. *An Transactio diei* 24. *Martii* 1807. *inter Collegium*,

 *& Co*

*& Colonos sit probanda , ita ut sit concedendum Beneplacitum in casu &c.*

II. *An Transactio diei 28. Augusti 1807. inter Collegium, & Marchionem Hectorem Florenzi sit probanda , ita ut sit concedendum Beneplacitum in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta ratum Eñi Relatoris .
Ad II. Negative .

*Sess. 24. cap. 2. de Reform.*

MONTIS ALTI TRANSACTIONIS . Litem ortam inter Fratres Tomassi , & Fratres Siliquini super consequutione pii Legati a Sacerdote Gradasso Rinalducci relicto diremit amica Transactio , cujus approbatio nunc postulatur . Cum Eñus : & Rñus Pacca , cujus Sententia rogata est , & in facto , & in jure transactionem ipsam expenderit , nihil mihi reljquum est , quam ejus votum hic ad verbum exscribere .

Sacerdoti Gradasso Rinalducci , ex geminis , quas habuerat, Sororibus nonnulli Nepotes prodiere . Ab altera , quæ in Domo Marinuccia Matrimonio jam juncta fuerat , Petrus, Laurentius , Andreas , aliique filii orti fuerunt ; ab altera vero Familiæ Rocchi nuptui tradita , præter alios , Cristophorus in lucem editus fuerat . Rinalduccius itaque in supremis tabulis die 10. Junii anni 1670. conscriptis Andream Marinucci , atque Cristopharum Rocchi hæredes universales scripsit : peculiaria vero bona pro Missarum legato perpetuo subjecit , certamque statuit methodum , quas juspatronatus activum , ac passivum hujusce Legati Pii progredi deberet . Quod attinet ad juspatronatus passivum : Rinalduccius Laurentium Marinucci Sororis filium primo loco nominavit = *volendosi far Prete Sacerdote* ; onusque eidem adjecit Sacrificium ter in hebdomada conficiendi *per l' anima di esso Testatore quì in Castignano in qualsivoglia Chiesa , ed altare .*

Testatori autem cordi adeo fuit cum perscripta Missarum celebratio in oppido *Castignani* , tum actualis quoque Sa-

Sacerdotii qualitas in passive vocatis, ut altero casu caducitatem eidemmet Laurentio Sororis filio indixerit *non stando ad abitare dentro Castignano*; impertita tum scriptis hæredibus facultate alterum Sacerdotem nominandi, qui Sacra a Testatore præscripta in eadem terra obiret *cogli stessi patti*, *condizioni*, *ed onori*, *e sia padrone di tutti i suoi beni*. Altero vero casu omnibus passivè vocatis, ne Laurentio quidem Sororis filio excepto, fructuum omnium perceptionem prohibuit, *se prima non avrà detta messa*, atque integros pii legati reditus hæredi Christophoro adscripsit, qui in missarum celebrationem, *ed in altro per servitio dell' anima del Testatore* eosdem erogaret.

Quod si forte evenisset, ut Laurentius ad juspatronatus passivum primo vocatus, vel Sacerdotio initiari nollet, vel morti occumberet; tunc Testator Legato Pio Petrum Andream Laurentii fratrem substituit: Si autem hic *non volesse*, *o non potesse attendere alla Pretaria* filios Christophori Rocchi alterius hæredis instituti ad juspatronatus passivum *adesso per allora* nominaverat Christopharo autem, *e suoi Eredi* facultatem tribuit *di poter far celebrare le dette tre Messe la settimana &c. ed il frutto sarà tutto di quello*, *che farà celebrare le tre Messe*, si inter ipsius Christophori filios nullus inveniretur, qui Sacerdotali munere fungeretur.

Absoluta jurispatronatus passivi nominatione, Rinalduccius ad juspatronatus activum gradum facit, quod scriptis hæredibus tam institutis, quam substitutis adscribit, ea lege, ut nominatio a familiis Marinucci, & Rocchi alternis vicibus absolveretur, atque ad *Sacerdotem Testatori proximiorem*, si forte adesset, cohiberetur. Extinctis vero lineis masculinis earumdem familiarum, Testator ad lineas ipsarum fœminas jus nominandi transtulit *colli stessi patti*, *pesi*, *onori*, *e condizioni*, *e sempre uno dei più prossimi di esso Sig. Testatore* = Jam vero ex lineis masculinis familiæ Rocchi, & Marinucci una Christophari Rocchi linea progressum fecit, quæ extremis hisce temporibus in Canonico Chrittophoro Juniore omnino exaruit. Hinc *Tommasius*, inde fratres *Siquilini*, qui ex fæminis familiæ Rocchi descendunt, post captam utrinque bonorum possessionem, quæ tum temporis Legato Pio

addicebantur, de prælatione invicem decertare cæperunt.

Vicarius Generalis Montis Alti, quem Litigantes primum, ut par erat, adierunt, Clerico Aloysio Tommasi manutentionem concessit, ea motus ratione, quia a Testatore Rinalduccio fuerat passive vocatus, A. C. vero Pelagallo manutentionem Fratribus Siliquiniis dedit. In hoc autem Sententiarum conflictu causa ad S. Rotæ Romanæ judicium delata fuit, quæ in Rota diei 27. Januarii anni 1803. sequenti dubio examini fuit subjecta = *An, & cui sit danda manutentio in casu &c.* Verum ob scissa, uti ajunt, *Corresponsalium* suffragia ad quintum, & sextum judicium fuit prorogatum. Ponente itaque R. P. D. de Alteriis, qui tum temporis Sac. Rotæ Auditoris munere fungebatur, causa die 5. Martii anni 1804. sub eodem dubio proposita fuit, cui Sac. Tribunal respondit = *Affirmative, & manutentionem dandam esse pro æquali juxta modum in decisione exprimendum, uti præsefert Decisio Montis Alti Manutentionis diei* 5. *Martii* 1804. *cor. R.P.D. de Alteriis.*

Vix fratres Siliquini a S. Rotæ Tribunali beneficium novæ Audientiæ assecuti fuerunt, communes Amici operam omnem, curamque adhibuerunt, ut in tot, tantisque partium sumptibus ad illam usque diem perorata, aliqua compositione absolvetur; præsertim cum non modica sanguinis conjunctio Tommatium inter, atque Siquilinios intercedat, atque ob litis prosecutionem utriusque familiæ concordia, uti in parvis civitatibus, atque oppidis evenire solet, periclitetur. Amicorum votis cum Tommasius, tum etiam Siliquinii annuentes solemnem Transactionem die 11. Decembris anni 1804. inierunt *per una pacifica conciliazione*, in qua expensis hinc inde remissis, quæ vel a Tommasio, vel a Siliquiniis ad illam usque diem lata fuerant, conventum inter partes fuit, ut Prædium *la Parigiana* una cum adnexa domo, quæ tum temporis integrum pii Legati assem constituebant, a fratribus Siliquiniis trium annorum spatio (quousque nempe alii ejusdem Pii Legati fundi retroactis temporibus injuria alienati communibus impensis vindicari possent) retinerentur, ea lege, ut *sia in libertà del predetto Sig. Tommasi*, vel dimidiam redituum partem consequi, solutis etiam pro dimidio ve-

vectigalibus, atque sacris a Testatore proscriptis pro dimidio quoque confectis; vel scutata novem pro quolibet anno obtinere assumpto a Siliquiniis onere cum sacra singulis hebdomadis faciendi, tum etiam vectigalia proprio onere persolvendi.

Transigentes deinde *cap.* 4. & 5. casum expendunt, quo bona legati pii jam in tertios alienata recuperentur. Quidnam vero in hisce rerum circumstantiis a Tommasio, atque a Siliquiniis statutum fuit? Tria sane ante ipsorum oculos obversantur. Vel enim pretium bonorum recuperatorum valorem prædii *la Parigiana* adæquat; vel hujusce prædii æstimationem illa antecedunt; vel denique prædium *la Parigiana* bonis recuperatis minoris æstimatur. Si primum: Tommasius bona jam recuperata obtineat; Siliquinii vero prædio *la Parigiana* potiantur, ea lege, ut sacrificia a Testatore præscripta ex æquo ab utrisque conficiantur; Si alterum autem: Tommasius, quod in bonis recuperatis pluris est, Siliquiniis persolvat, qui tuto investimento erga legatum pium collocabunt. Si tertium denique Siliquinii, quod in Prædio *la Parigiana* pluris æstimatur, Tommasio præstent, ut erga idem legatum pium in tutum ac frugiferum investimentum erogetur. Quæ usque adhuc in Transactione conventa fuerunt, a testamentaria Rinalducci dispositione ne latum quidem, uti ajunt, unquem abhorrent.

Septimum transactionis caput Emorum Patrum judicium præstolatur. Quamvis enim Testator tam in linea masculina, quam in linea fœminina familiarum *Marinucci*, & *Rocchi* passivum juspatronatus hujusce legati Pii *Sacerdoti Testatori Proximiori contulerit*, si Presbyteratus munere fungeretur, atque in terra *Castignani* Sacra fecerit; Transigentes tamen statuerunt = *Che tutte, e singole convenzioni stabilite debbono aver effetto, o vi sia, o non vi sia il Prete, o Chierico nell' una, e non essendovi nell' altra Famiglia, sempre, e poi sempre debba restar fermo, ed efficace il presente concordato*. Hanc autem conventionem Tommasius, ac Siliquini ea lege inierunt, ut utriusque nomine preces Sacratissimo Principi porrigerentur, *che deroghi in questa parte il Testamento Rinalducci, è confermi la Transazione*.

Quæ statuta fuerunt in transactione, executioni illico fuerunt

runt a transigentibus commissa; supplex hinc libellus huic S. Congregationi ab eisdem oblatus fuit, ut inita Transactio præbetur. Præces Episcopo Montisalti *pro informatione ac voto*, ut moris est remissæ fuerunt = *auditis præsertim fratribus Siliquini*, *transmissa fundatione legati*, *& referat de statu litis*, *atque evidenti utilitate* = uti præsefert Rescriptum die 7. Septembris anni 1805. editum. Hic autem, omnibus omnino expletis, quæ a Sac. Congregatione præscripta fuerant, Transigentium votis annuendum esse existimat, tum quia utriusque partis consensu Transactio stipulata fuit, tum etiam quia vi ejusdem Transactionis *dispendia*, *atque incommoda litis utrinque tolluntur*, *& utraque familia perpetua concordia coalescet*; tum denique quia *nullum Legato Pio præjudicium infertur pro adimplendis missarum oneribus*; *cum enim ex gentilitio schemate compertum fuit Tommasios & Siliquinios pari gradu Testatori conjunctos esse Rotali judicio cautum est*, *ut pro semisse utrisque manutentio decerneretur*; *hinc itidem utrique pro semisse obligationem Missarum onera adimplendi in instrumento Transactionis assumunt*. Placuit Eminis Patribus hujusce rei cognitionem mihi committere, ut meam qualemcumque sententiam hac super re dicerem.

Indiscrimen vocari nequit, quin ad commutandos Defunctorum voluntates, quæ juxta *Text. in leg. vel negare* 5. *ff. quemadm. Testam. aperiant. & leg. omnium* 19. *Cod. de Testament.* sartæ tectæ servari debent, justa, rationabilis, atque necessaria causa intercedat oporteat uti post *Conc. Trident. sess.*22. *de ref. cap.*6., *tradunt Antun. de Don. part.*2. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 68. *De Volent. de ultim. volunt. vot.*27. *num.*101. *&* 102., *atque statuit Sac. hœc Congregatio in Taurinen. Commutationis voluntatis diei* 20. *Decembris* 1732. *in Florentina Commutationis voluntatis diei* 15. *Februarii* 1747., *in Aquen. erectionis Cappellaniæ diei* 2. *Augusti* 1760. *& in Bononien. Confirmationis Concordiæ diei* 14. *Febr.* 1778. Et recte quidem: Si enim extremæ morientium voluntates, nulla intercedente vel justa, vel necessaria causa, derogationi subessent, homines profecto a piis operibus instituendis maximo cum Ecclesiæ, atque Pauperum damno retraherentur. Ad evitandum itaque tantum malum, quod bono publico maxime refragatur, cum Do-

cto-

ctores, tum etiam S. Congregatio jam tuentur sententiam, ut supremæ hominum voluntates firmitatem obtineant, quousque aliqua justa, atque necessaria causa ipsarum commutationem non suadeat, uti animadververtit *Petra ad Constit. Sa. Me. Innoc. IV. tom. 5. num.50.*, *Barbos. in Conc. Trident. sess.22. de Reform. cap.6. n.1.* & *seqq.* ac *S. Congreg. in Faventina Commutationis voluntatis diei* 16. *Maii* 1778. §. *Regulæ juris*.

Jam vero examini paulisper subjiciamus, utrum justa, ac necessaria causa locum hac in re adeo sibi vindicet, ut animum Eñorum Patrum movere possit ad commutandam aliquomodo testatoris Rinalducci voluntatem. Plurimæ ab Episcopo afferuntur, quæ mea quidem Sententia maximi sunt faciendæ. Post diuturnam litem Siliquinios inter, ac Tommasium actam primum cor. Vicario Generali Montis Alti, qui manutentionem Clerico Tommasio dedit, deinde coram A. C. Pelagallo, qui fratribus Siliquiniis manutentionem tribuit; causa tandem aliquando ad S. Rotam delata fuit, quæ die 27. Januarii anni 1805. ob scissa corresponsalium suffragia ad quintum, ac sextum judicium prorogavit: examini deinde subjecta die 5. Martii anni 1804. cum Tommasio, tum etiam Siliquiniis ex æquo manutentionem adscripsit.

Quid enim? nonne ex hisce rerum circumstantiis Eñi PP. ictu oculi percipient, Causam hujusmodi Siliquinios inter, oc Tommasium peroratam non modicam dubietatem, ac discrimen præseferre? Alter namque judex Tommasio, alter Siliquiniis manutentionem tribuit: Sacri deinde Rotæ Tribunalis judicium anceps primum fuit; deinpe vero neque uni Tommasio, neque solis fratribus Siliquiniis manutentionem dedit, sed utrique familiæ pro æquis portionibus Pii Legati bona adscripsit: quinimmo Siliquiniis, quibus RotæDecisio vehementer displicebat, novæ audientiæ Beneficium illico impertitum fuit. Quocumque ita sese res habeat, quisnam ignorat, in hac jurium dubietate locum esse confirmationi transactionis Siliquinios inter, ac Tommasium initæ, quamvis Testatoris Rinalducci mens,atque voluntas aliquo modo commutata inspiciatur? Demus paulisper Transactionem, de qua agitur, Apostolico Beneplacito minime roborari: Quid tum? En lites inter hasce familias denuo excitatæ; en controversiæ iterum constitutæ;

tæ ; en denique maximi sumptus in agendis litibus impensi. Ad tot itaque, tantaque mala vitanda, quæ publicæ utilitati refragantur; jura suadent, atque a juris quoque interpretibus commendatur, ut hujus generis transactiones, quæ circa rem dubium initæ fuerunt, ratæ, firmæque consistant, atque Supremi quoque Principis Beneplacito firmentur, quamvis extremæ defunctorum voluntates aliquam commutationem præseferre videantur. Rationem adducunt Doctores, quia hujus generis Transactiones publicam utilitatem respiciunt, quæ in dirimendis litibus, atque in controversiis dissolvendis præcipue versatur; *ut post. Text. in leg. Fratres cod. de Transact. & in Leg. Postquam liti Cod. de Pact.* ratiocinantur *Valeron. de Transact. in Præm. num. 34. ac Rot. cor. Falcon. tit. de Transact. dec.7. num.3.*, *& in Firmana Executionis Concordiæ diei 27. Junii 1764. §.2. cor. cl. me. Card. Riminaldo*.

Quænam vero excogitari potest causa justior, ad commutandam aliquo modo Rinalducci voluntatem, quam publica dirimendarum litium utilitas? Si enim jus civile ob publicam utilitatem, quæ in dirimendis litibus, atque in contentionibus dissolvendis elicitur, transactionum firmitati adeo adhæret; ut *propter juris apices*, ut practicorum verba hac in re utar, ab eisdem discedere nulla modo liceat; quanto magis publica hæc dissolvendarum controversiarum utilitas animum S. Congregationis movere debet ad confirmandam Transactionem Siliquinios inter, atque Tommasium initam, quamvis Rinalduccianæ voluntati aliquo modo officiat? Neminem namque latet, S. Congregationem in definiendis controversiis benignitatem potius, atque æquitatem sectari, quam summo juri inniti.

Quid? quod Transactio, de qua agitur, ad pacem Tommasium inter, ac Siliquinios conciliandam statuta fuit? = *Per una pacifica conciliazione*. Jam vero omnes juris interpretes in eadem sunt Sententia, ut hujus generis Transactiones, quæ ad pacem inter aliquos conciliandam initæ fuerunt, Supremi Principis Beneplacito roborari debeant, quamvis Testatorum voluntati aliquo modo obsistant. Pax namque inter bona maximi momenti adeo recensetur, ut nil gloriosius, nil delectabilius audiri, atque optari possit. *Pax* ( ut verbis utar *Sa. me. Leonis X. in Constit. quæ incipit Pastor* ) *est vinculum*

ca-

*caritatis*, & *spiritualis virtus*, *qua solvamur*, & *in bono pacis consistit universorum salus*. Mala itaque potius sunt ferenda, quam pacem Transactione firmatam aliquo modo turbare. Nil mirum ergo, si ad pacem producendam, quæ vi transactionis conciliata fuerat, multa a jure permittantur, quæ alias illicita renunciari deberent, *uti post. Text. in cap.1. art.23. quæst.4. firmat Valeren. de Transact. in proœm. num.34. Aliciat. in leg. Transactio cod. de verb. signif.*, *ac Rota in Romana Legitimæ*, & *Trebellianicæ quoad ratam scutorum* 1200. 8. *Junii* 1759. §.6. *cor. bo. me. de Canilliac.*, & *in cit. Firmana Executionis Concordiæ* 27. *Jun.* 1760. §.2. *cor. cl. me. Card. Riminaldo*. Si pacis itaque conciliatio inter publica bona connumeratur; ad hanc sane incolumem præstandam extremæ quoque morientium voluntates alicui commutationi subijci possunt, ut tantum bonum assequatur. Præsertim cum in præsenti agatur de pace vi transactionis firmata inter duas familias, sanguine inter se conjunctas, in quibus ejusdem pacis conciliatio primas obtinere debet. Adest igitur justa, atque necessaria pacis conservandæ causa, ut Rinalducci Testatoris voluntas *aliquo modo* commutari possit.

Dixi *aliquo modo commutari possit*; Siquidem vi initæ Transactionis *in subssantialibus* saltem, uti ajunt, mens atque, voluntas Testatoris rata, ac firma consistit. Tria enim Sacrificia in singulis hebdomadis conficienda, quæ Rinalduccius in supremis tabulis præscripserat, vi transactionis Siliquinios inter, ac Tommasium initæ nulli prorsus imminutioni subesse debent. Juxta namque Rotale judicium utrique Familiæ Siliquini, ac Tommasi manutentio pro semisse tribuitur; utraque ergo Familia in Transactione, de qua agitur, Missarum, onera pro semisse perferre spondet. Vi itaque prædictæ. Transactionis nullum præjudicium Legato Pio irrogarunt Transigentes, id unum in præsenti efflagitant, ut Transactio ab ipsis conventa suam vim, ac firmitatem obtineat, quamvis Præsbyter Testatori proximior in alterutra familia contineatur. Jam vero cum publica dirimendarum litium utilitas, tum etiam publicum Pacis bonum, quæ ob statutam Transactionem inter hasce Familias sanguine conjunctas conciliata fuit, justam, ac necessariam causam præbent ad commutandam hac in re Rinal-

nalduccii Testotoris voluntatem, ne Sacerdos Testatori proximior, qui in altera Familia continetur, ob juspatronatus passivum, quo juxta Testatoris dispositionem potitur, bona legati Pii adipiscatur, quæ cum ob Rotale judicium, tum etiam ob initam Transactionem ab altera Familia detinentur. Secus enim lites jam dissolutæ magno cum familiarum damno reviviscerent, pax jam conciliata in maximam ipsarum perniciem turbaretur, ac denique bona legati pii ob Presbyterorum alterius familiæ desidiam delapidarentur, uti maximo cum ejusdem Legati Pii detrimento ad hanc usque evenisse ex ipsamet Transactione clare aperteque compertum est.

Censerem tamen Presbyteros Testatori proximiores rejiciendos non esse a jurepatronatus, quo pollent, passivo in iis saltem Legati Pii Bonis, quæ a propria cujusque familia possidentur, dummodo juxta Rinalducci voluntatem in terra Castignani dimidium Sacrorum faciant, quæ a Testatore in supremis tabulis præscribuntur. Tunc enim locum sibi vindicare nequit publica litium dirimendarum utilitas, ac turbandæ pacis timor in auras prorsus abiit; quinimmo Rinalducci menti, aliquo modo indulgetur. Neminem quippe latet, in commutandis testamentariis defunctorum tabulis ipsorum menti ac voluntati, *quantum commode fieri potest*, *obsecundandum esse*, ut verbis utar folii *in Catanien. Commutationis voluntatis diei* 18. *Julii* 1653. §. *Expectationi*.

Fateor equidem vi hujusce Transactionis juribus Presbyterorum Testatori proximiorum aliquod præjudicium inferri; cum juspatronatus passivum, quod in omnibus bonis legato Pio addictis Presbyteris adscribitur, ad semissem tantummodo eorumdem bonorum cohibetur. Verum animadvertamus oportet, fas esse Supremo Principi juri tertii non raro derogare, cum vel publica utilitas derogationem hujusmodi requirat, vel bonum publicum, quod privato bono longe antecedit, id efflagitat uti *post Pereg. de Fideicom. art.* 52. *num.* 117. *tradunt Molin. de Primogen. Hisp. lib.*1. *cap.*8. *num.*31. *de Valent. de ult. volunt. vot.* 27.. Jam vero satis superque erit animum adijcere cum ad publicam dissolvendarum controversiarum utilitatem, tum etiam ad publicum conservandæ pacis bonum, ut in discrimen amplius vocari nequeat, quin & publica utilitas, & bonum publicum hac in re intercedat quod hanc voluntatis commutatio-

tionem suadere videatur. Quæ cum ita sint; existimarem profecto *consulendum esse SSmo pro Transactionis confirmatione juxta modm in voto expressum, ut scilicet Presbyteri, si adsint Testatori proximiores jurepatronatus passivo in iis legati Pii bonis fruantur, quæ a propria tantummodo cujusque familia detinentur.*

Arbitratur tandem Episcopus Rescripto hanc adijciendam esse conditionem, *ut Sacrificiorum adimplementum utriusque Episcopi vigilantiæ subiiciatur*. Verum animo repetamus oportet in transactione, de qua agitur ne verbum quidem unquam excidisse, quod Episcoporum juribus hac in re quoquo modo officeret. Superflua itaque censeri debet hujus generis conditio, statim ac jus ipsum diligenti Episcoporum vigilantiæ, ac pastorali ipsorum solicitudini Piorum Legatorum implementum tribuit, atque privativæ ipsorum jurisdictioni subiicit.

Dubium proponitur.

*An & quomodo sit consulendum SSmo pro Transactionis approbatione, & confirmatione in casu &c.*

Affirmative in omnibus juxta Votum Emi Relatoris.

AQUINATEN., ET PONTISCURVI PROCURATIONIS. Ab anno 1725. S. M. Benedictus XIII. Apostolica edita Constitutione, cujus initium = *In excelsa* = Oppidum Pontiscurvi Civitatis honore illustravit, & Ecclesiam Collegiatam S. Bartholomei in Cathedralem erexit, ac Cathedrali Aquinatensi univit. Præstat tamen verba ipsius Constitutionis hic exscribere *Benigno, & grato favore prosequi volentes, omnibusque, & singulis præmissis nobis, ut præfertur, expositis pro verificatis, & justificatis habentes, Motu proprio, ex certa Scientia, ac matura deliberatione nostræ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Oppidum præfatum in Civitatem Pontis Curvi deinceps nuncupandum cum omnibus juribus, prærogativis, honoribus, & præeminentiis, quibus aliæ Civitates, earumque Cives utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere*

*Sess. 24. cap. 3. de Reform.*

*poterunt quomodolibet in futurum; Et Sæcularem Collegiatam Ecclesiam S. Bartholomæi hujusmodi in Cathedralem sub eadem invocatione, & in ea Sedem Episcopalem pro Episcopo Aquini, & Pontis Curvi, seu Fregellarum conjunctim etiam nuncupando, qui in illa, & Civitate prædicta omnia, & singula, quæ ordinis, & jurisdictionis, ac cujuscumque alterius muneris Episcopalis sunt, exerceat, nec non cum omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, indultis, & gratiis, quibus aliæ Cathædrales Ecclesiæ, earumque Præsules de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac ipsius S. Bartholomæi honorem, & Christifidelium Devotionis augmentum, tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus, illasque sic erectas, & institutas, nec non Episcopum pro tempore existentem, ac ipsius Ecclesiæ Capitulum, Sedi Apostolicæ immediate etiam perpetuo subiicimus, & sub peculiari Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum protectione suscipimus.*

*Præterea motu, scientia, & potestatis plenitudine pariter Cathedralem Ecclesiam S. Bartholomæi Pontis Curvi hujusmodi antiquæ Cathedrali Ecclesiæ Aquinati, æque principaliter perpetuo unimus, itaut in posterum eadem Ecclesia S. Bartholomæi Pontis Curvi Cathedralis cum Ecclesia Aquinatæ sit, ac esse debeat, ut Episcopus pro tempore existens, Episcopus Aquinas, & Pontis Curvi, seu Fragellanus conjunctim esse, & nominari debeat, nec non in actibus Consistorialibus, ac in litteris Apostolicis super promotione novi Episcopi ad prædictas Aquinatem, & Pontis Curvi, seu Fergellarum, ut Cathedralis ejusdem Ecclesiæ Aquinatis: conditione tamen adjecta, quod eveniente Sedis Apostolicæ vacatione Capitulum Ecclesiæ Aquinatis, uti antiquius, inconsulto, & minime audito Capitulo dictæ Cathedralis Ecclesiæ Pontis Curvis, seu Fregellanæ ad electionem Vicarii Capitularis procedere valeat, & qui ab eodem Capitulo Aquinate canonice electus, & deputatus fuerit Vicarius Capitularis, suam jurisdictionem etiam in Ecclesia Pontis Curvi, seu Fregellana, ut hactenus consuevit exercere libere possit.*

Cum

Cum Capitulum Cathedralis recusasset *Procurationem* præstare moderno Episcopo, hic preces porrexit huic Sacræ Congregationi, ut Capitulum ad procurationem compelleretur. Eidem preces hujusmodi remissæ fuere *pro Informatione, & Voto, audito in scriptis Capitulo, referat de Constitutionibus Synodalibus, si quæ sunt ad rem facientibus, & de consuetudine quoad præteritum*. In remissa *Informatione* Episcopus sua jura tuetur. Capitulum quoque sua jura deduxit, seque exemptum contendit a Procuratione præstanda sive ex jure, sive ex consuetudine. Quæ hinc inde afferuntur, referam, postquam pauca de juris dispositione attigero.

Ex juris antiqui constitutione licebat Episcopo Visitanti Ecclesias in loco, in quo residet, sitas procurationem exigere, ut *ut* ex *Text. in cap.* 24. *de Censib.* Postquam vero Tridentinum in *Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Reform.* interdixit exactionem Procurationis = *exceptis victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda* = controversia fuit inrer Canonistas, num Procuratio deberetur Episcopo, cum Visitationem faceret in loco, in quo residebat. Sacra vero Congregatio censuit non posse exigere hanc Procurationem, si visitaret Cathedralem, ut *in Castren. Procurationis* 17. *Novembris* 1685., & *in Aliphana Procusationis* 18. *Julii* 1705. Itidem negavit Episcopo Procurationem, si visitaret Ecclesias in loco, in quo residet, quatenus resideret aliqua parte anni, ut in *Polycastren. Procurationis* 5. *Junii* 1737., & *in Valentina* 30. *Januarii* 1768. *ad I. Dub.* Cujus quidem rei ea præcipue est ratio, quod ubi Episcopus visitat Cathedralem, aliasque Ecclesias loci, in quo residet, cessat illa necessitas, quam præcise requirit Tridentinum, ut docet *Fagan. in cap.* 5. *de Censib.*, & *Cap. Venerabil. num.* 13. *ad* 15. *Barbos. de Potestat. Episc. part.* 3. *Allegat.* 73. *num.* 46. *Pignatell. Consult.* 146. *num.* 56. *tom.* 9.

Ex hac juris dispositione se axemptum putat Capitulum Pontiscurvi tum quia ex constitutione Benedicti XIII. Ecclesia S. Bartholomæi erecta sit ad honorem Cathedralis, tum quia sive Prædecessores, sive modernus Episcopus in Civitate Pontiscurvi residentiam fecerunt. Utrumque tamen in discrimen adducit Episcopus, ut vide-

dere est in ejus *Informatione*, quam ad verbum exscribam.

*Ut brevitati serviam, libenter pro nunc ipsius Constitutionis singula verba percurrere omittam: Sufficere enim mihi videtur animadvertere eam de illis esse, quæ dicuntur in forma communi, absque narratorum verificatione, illiusque extensorem, quamvis sui laxaverit calami habenas, ullam legitimam necessitatis, & utilitatis causam fictitiæ unionis illius Ecclesiæ jam intrinsece unitæ, & originarie subjectæ, atque erectionis novæ, & veræ Cathedralis adduxisse, afferreque potuisse; immò eas omnes penitus defuisse ex ipsa narrativa satis, superque liquet. Nam antiquissima Aquini Cathedralis jam ædificata erat: Ea non longius quam milliare circiter distabat: Diœcesis minime ampla, sed multo parva, & complexa. Bona ubicumque sita, ipsam Domum Pontiscurvi ad Mensam Aquini absolute pertinebant; nihilque in ipsa erectione additum: Ipsa Ecclesia S. Bartholomæi de Oppido Pontiscurvi erat de Diœcesi, & in Diœcesi Aquinaten., eidemque intrinsece, & originarie unita, & subjecta, nec unquam separata fuit ante fictitiam unionem; & quamvis asseratur Collegiata, talis minime erat, semperque fuerat in Visitationibus descripta sic: Vivit more Collegiatarum, sed non est Collegiata: & Parochi Collegiatarum S. Nicolai, & S. Mariæ de Porta obtinuerant manutentionem præcedendi, servato Individuis S. Bartholomæi jure ad Collegialitatem probandam a Sacra Rituum Congregatione, nec adhuc probaverat.*

*His positis unicum motivum erectionis dictæ Ecclesiæ S. Bartholomæi in Concathedralem, quod elucet ex ipsa Constitutione, fuit gratia simultaneè per Capitulum, & Universitatem illius Oppidi petita, idest dignoribus augeri titulis, cui petitioni Pontifex deferens, & supplicanti benigno, & grato favore prosequi volens, unico contextu Oppidum in Civitatem, & Collegiatam in Concathedralem erexit, sicut PP. semper in erectionibus Civitatum consueverunt, nam apud Italos receptum est, ut illa sola appelletur Civitas, quæ habet Episcopum; Ideoque erectio prædicta Ecclesiæ S. Bartholomæi respexit tantam denominationem ventosàm, & honorificam di-*

*dignoris tituli, atque indumentorum, & præcedentiæ inter alias Collegiales, idque, & nihil aliud ex speciali gratia, non autem ex justitia, obtinuit, ceu patet ex §. §. 2. 3. & 5., illiusque unio æque principaliter Cathedrali Aquinaten suæ Matri, penitus ipsius Ecclesiæ S. Bartholomæi naturam, & qualitatem immutavit, sed eam reliquit Plebanam, sive Collogiatam, ut antea erat, & sub ejusdem Matris unicæ, & veræ Cathedralis Aquini subjectione, & juridictione, sicque fuit dissertis verbis §. 4. statutum. Cum itaque nulla collata fuerit tempore vacationis Sedis Episcopalis juridictio, remanserintque sub illa Vicarii Capitularis unice eligendi a Capitulo Cathedralis Aquini, minime dici potest elevatam fuisse ad naturam, proprogativam, & privilegia veræ Cathedralis, nam deficit constitutivum substantiale talis qualitatis.*

*Absurdum sine dubio esset præsumere, quod Summus Pontifex præservaverit sarctam tectam Capitulo Aquino tempore Sedis Vacantis jurisdictionem, ne eidem inferret præjudicium, & e contra voluerit Episcopi scindere jurisdictionem, atque ipsius lædere omnia jura Episcopalia, pro quibus ipse intentionem in jure fundatam habebat; & ad quæ Capitulum S. Bartholomæi ante erectionem tenebatur, eumque ab illis liberare in Episcopi, & & aliarum Ecclesiarum præjudicium. Hoc a minori ad majus argumentum, magis, magisque firmat ob clarum defectum dictæ jurisdictionis, ullum adesse veræ Cathedralitatis vestigium, ullumve privilegium Capitulo S. Bartholomæi collatum fuisse, neque competere ex illis veris Cathedralibus a jure tributis, & consequenter, ut ipsa Ecclesia ante erectionem erat Plebana, sive Collegiata; sic ex post eam pariter remansisse, habendamve esse, & ad ea omnia, quæ tenebatur jam teneri. Contrarium præsumere esset multa alia admittere clara absurda.*

*Et si hoc evidens est, cum juris patrocinio recte, & clare deducitur omnes, & quascumque generales clausolas habendas esse de mero stylo, & relationem habuisse ad specifice ante expressa, & concessa, minimeque extendendas ad non specifice expressas prærogativas; multove minus esse operatorias quoad præservatas. Summus Pontifex, quod voluit, clare expressit, nec unquam præsumi potest, ipsum noluisse Episcopo jus in ju-*

*jure fundatum exigendi procurationem tempore Visitationis auferre, cui enarratorum meritorum gratia, nil aliud de novo, præter simplicem ambullosam Episcopi Pontiscurvi denominationem tribuitur, quasi non esset totius Diœcesis Episcopus, in cujus Ditione erat Pontiscurvi Oppidum. Ex hoc maxime, tum quia opus erat specifico exemptionis privilegio ad denegandum jus in jure fundatum, tum quia privilegia semper intelliguntur citra præjudicium juris tertii concessa; & etiam ubi verba sint ambigua, semper ut odiosa, stricte interpretanda sunt, ne tertio cum injustitia noceant. Sed in præsenti casu interpretationem non requirunt, cum sint clarissima ex specifica conditione præservationis jurisdictionis post generales clausulas adjecta dicto §.4. & simplicis dignioris titulj. & indumentorum concessione ex gratia, dictis §§. 2. 3. & 5. Ideoque non. obstante erectione prædicta, absque dubio ad procurutionem præstandam omnino tenetur Capitulum S. Bartholomæi, nam ei deficit exemptionis privilegium, & Episcopus suam habet intentionem in jure fundatam, & impræscriptibilem.*

Hæc habet Episcopus contra privilegium Cathedralis. Quoad vero residentiam *ejusdem furfuris*, inquit, *immo deteriurioris hæc est objectio, deficitque in facto, & in jure. Licet enim prædicta Constitutione §. 1. assertum fuerit, Episcopos Aquinos, ob Domus Episcopalis defectum apud suam Cathedralem residere non potuisse, & ab antiquo tempore jugiter in dicto Oppido Pontiscurvi residentiam habuisse, sed precariam ob defectum Domus apud Cathedralem; attamen hæc assertio statim, & plene destruitur §.3., nam ab eodem nunc Episcopo de Carolis ædificatum ibidem Palatium, dicitur fuisse, & ex relationibus ejusdem Episcopi ad Sacra limina, & & præsertim ex illa anni 1695. clare habetur, propter antedictum defectum coactum fuisse, & esse per Diœcesim ejusve loca, & Domos alienos emigrare. Et ex quam plurimis legitimis monumentis constat, ibidem, paulo ante erectionem ex parva Casa Mensæ Aquinatensi legata, aliisque adjacentibus collectitiis Domunculis, permutatis cum fundis frugiferis ejusdem Mensæ, aliorumve alienatione, & mulctis ædificatum fuisse Palatium, seu Sepulcrum dealbatum. Et quod pluris est, vix Episcopus de Carolis paulo ante, & post erectionem*

*ibi*

*ibi aliquam traxit moram, nemo aliorum postea, nequidem per deductum tempus mensium trium, vel quatuor; Nam vigore Rei judicatæ ex Apostolica Delegatione Summi Pontificis Benedicti XIV. fel. rec., & ab eodem approbatæ, ac auctorizzate, fuit a Civitate Pontiscurvi in Terram Roccæ dictæ in perpetuum translata Episcopalis residentia cum Curia, Archivio, & Seminario Diœcesano, ibidem de novo constructis Episcopio Aquinas, lege adiecta, quod non posset Episcopus residere extra ea loca, ut patet quam clarissime ex originalibus in adnexo documento enunciatis, & ex relationibus meis ad Sacra Limina, cum quibus retuli dispendiosam restaurationem, seu quasi reædificationem a me factam Episcopiorum, & ultimo loco illius Pontiscurvi, sed pœnitere deberem, quia antequam illius ingrederer fores, alterius iniquo consilio non solum fabricæ, sed etiam mobilium jacturam passus sum. Melius igitur Consilium tenuisset Capitulum si perpendisset dictam residentiam transitoriam, si vera esset, quod negatur, sine cumulativa qualitate veræ Cathedralitatis nil prodesse; Atque in Visitatione dictæ Civitatis necessario impendi debere circa mensem, & consequenter requiri ad Visitationem rite explendam; proptereaque omni ex ratione ullam prætendere posse, neque competere exemptionem.*

Contra hæc respondit Capitulum non tam quærendum esse, qua ratione motus Benedictus XIII. in Cathedralem erexerit Ecclesiam Pontiscurvi, quam si revera eidem hoc privilegium concesserit. Cum igitur ex amplissimis verbis Constitutionis apertum sit hoc fuisse privilegium concessum, nihil opus sit quærere causam, cur concessum sit. Neque porro causæ hujusmodi in Constitutione prætermittuntur, scilicet insalubritas Cæli Aquinatis, defectus Episcopii, exiguus Clerus, celebritas, & antiquitas Oppidi Pontiscurvi, in quo olim Fregellanus Populus habitabat, frequentia, & splendor incolarum, numerosus Clerus, quæ omnia moverunt Summum Pontificem, ut Civitatis honore donaret Oppidum Pontiscurvi, in eoque Cathedralem erigeret. Nil vero obesse putat Capitulum, si in illa Constitutione electio Vicarii Capitularis Capitulo Aquinatensi præcipue addicatur. Id enim nil aliud sibi vult, quam quod hoc uno jure excepto, cætera privilegia Cathedralis Ecclesiæ Pontiscurvi

impertiri voluit. Nunquam vero ut cætera privilegia negaverit, idcirco quia hoc jure eligendi Vicarium Capitularem privavit. Residentiam vero Prædecessorum Episcoporum *Spada*, *Sardi*, *Siciliani*, atque ipsius moderni Episcopi probant testes, qui affirmant = *esser venuto in ogni anno in questa Città contrattenervisi più mesi* = Et rursus = *contrattenervisi buona parte dell' anno* =. Quod si ex decreto Visitatoris Apostolici Episcopus partim in Civitate Aquini, partim in Civitate Pontiscurvi residere debebat, non ex hoc excluditur, quod Episcopus aliquo anni tempore in Civitate Pontiscurvi moratus sit. Id quod satis esse dicit Capitulum, ut immunis sit a præstanda procuratione. Immo si continuo Episcopus a Civitate Pontiscurvi abfuisset; nihilominus non posset eam exigere a Cathedrali, quamquam alibi moretur, quemadmodum opinantur *Monacell. num.* 4. *supplem. ad tom.* 3. *num.* 78. *Ferrar. Biblioth. verb. Procuratio num.* 13. S. Congregatio *in Aliphana* 18. *Junii* 1705.

De consuetudine agit tamdem Episcopus in sua Informatione, *Capitulum allegavit pro se non solum vanum privilegium, sed etiam consuetudinem, quæ cum privilegio cumulative stare non potest. Sunt ea inter se dissonantia. Ullam vero ejusdem gratis assertæ consuetudinis adduxit probationem, neque afferre unquam poterit; nam Ecclesiæ Diœcesis omnes Episcopo visitanti procurationem præbent, & ipsæ Pontiscurvi Collegiatæ eam non detrectant, minimeque verum esse possit, Ecclesiam S. Bartholomæi unquam eam præbuisse; Hoc certum tantum est in duobus ultimis Visitationibus renuisse, eave de causa meo nomine expostulatum fuit compelli. Si quid mirum, si meo Antecessori etiam Cathedraticum, ab Ecclesiis veris Cathedralibus debitum denegare non erubuit, & adimplere postea debuit! At concilium d. cap.* 3. §. *In iis vero Sess.* 24., *non loquitur de præscriptione, quæ non habet locum in jure Visitationis, & procurationis; sed tantum de consuetudine, quam præservare voluit, ad cujus esse de jure requiritur, ut sit generalis in loco, cum sit jus non scriptum universaliter constitutum; ideoque illa adhibuit verba; in illis locis, seu Provinciis, ubi consuetudo est, quæ non adaptantur ad observantiam unius, aut* alte-

*alterius Ecclesiæ , sed totius Diœcesis ; alioquin si locum intellexissent pro Ecclesia particulari , incongruè dixisset in locis , seu Provinciis , cum illa dictio seu posita inter ea , quæ sunt ejusdem generis , non stet alternativè, sed declarativè . Deest igitur in præsenti casu consuetudo illa a Concilio præservata .*

Ad hæc respondit Capitulum , quod Tridentinum *in citat. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Refor.* expresse cavit = *Iniis vero locis , seu provinciis , ubi consuetudo est , ut nec victualia , nec pecunia , nec quidquam aliud a Visitatoribus accipiatur ; sed omnia gratis fiant , ibi id observetur* . Quare si Epicopus probare non potest vel unam solutionem factam a Capitulo Cathedralis ; jam patet , quod ei consuetudo adversetur . Neque quidquam huic consuetudini detrahit , si generalis non sit in universa provincia . Nam dum S. Congregatio interrogavit Episcopum,ut referret super consuetudinem , jam hoc ipso declarasse contendit Capitulum de consuetudine , quæ viget in illa Ecclesia , de qua controversia est , num teneatur ad præstandam procurationem . Quare si Ecclesiæ Collegiatæ Episcopo hanc procurationem rependerunt , hoc certe exemplum traduci non potest ad infirmandam consuetudinem , quæ viget in Ecclesia Cathedrali , cum diverso jure utatur .

Dubium proponitur .

*An Episcopo visitanti Ecclesiam Cathedralem Pontiscurvi debeatur procuratio in casu &c.*

**Dilata ad primam post proximam**

FERETRANA . In agro S. Agatæ remotiorem partem habitant ruricolæ , ex quibus constat *la Villa di Cinarelli* : Cum isti hyemis tempore ob asperum iter ad Ecclesiam Parrochialem accedere nequeant , habent Oratorium nuncupatum *S. Christofoaro* , in quo Missa diebus festis

*Sess.* 21. *Cap.* 6. *DeReform.*

festis simbola ab habitantibus collata celebrabatur, quin tamen esset precipuus fundus destinatus vel pro eleemosina Missarum, vel pro manutentione ipsius Oratorii. Sacerdos Lucas Dominici indidem Oppidi S. Agatæ, ut illis incolis opem ferret in suo postremo testamento *anni* 1795. jussit = *volendo concorrere al commodo di detto Popolo, acciò ne giorni festivi possa ascoltare la S. Messa nella Chiesina di S. Cristoforo voglio sieno dati scudi 200. moneta romana, quali posti a ftutto o in terre o in censi, si celebri la S. Messa in detta Chiesina, ed altre di S. Cr istoforo a comodo del popolo, e s' applichi secondo la mia intenzione con la limosina di bajocchi quindici per Messa in tutte le Domeniche dell' anno in perpetuo, che nel rimanente delle feste potrà supplire il detto popolo, e se sodisfatta l'elemosina delle Messe al Cappellano vi fosse avanzo, intendo, e voglio, che sia a beneficio di detta Chiesa, ed altare di S. Cristoforo. Che se nel termine di un anno non si trovasse a mettere a frutto l' accenata Somma di scudi duecento voglio, ed ordino in tal caso si sostituisca in luogo del denaro un censo in sorte di scudi centocinquanta, dato alla Communità di Castel Dolci, ed un altro in sorte di scudi di cinquanta gravante Paolo Salvatori. Dichiaro che tal legato da me fatto non altrimenti divertir si possa", se non quando la Chiesa, ed Altare di S. Christoforo per trascuraggine di chi dovesse mantenerlo restasse sospeso, sostituendo in tal caso l' altare della SSma Vergine della Consolazione nella Chiesa Plebale di S. Nicolò di Castel Dolci.*

Defuncto testatore Mense Aprili *anni* 1795., Heredes tres compararunt census duos scilicet a Communiiate Castri Illicis in sorte scutorum 150., & alterum a Paulo Novelli in sorte scutorum 50., sed Administratio hujus legati numquam tradita fuit Populo Villæ Cinarelli, eamque hæredes retinuerunt. Labente *anno* 1797. restitutæ fuerunt sortes horum censuum, cum debitores Censuum nunciarint disdictam deposita summa alter in cedulis, alter in pecunia ærea. Hanc summam hæredes Dominici dederunt Francisco Benucci, qui fructus rependere promisit, sed cum numquam instrumentum stipulare voluisset, eumdem carceribus manciparunt: cum-

cumque in Benuccium multi irruissent Creditores, hæredes nil aliud recuperare potuerunt, quam censum activum in sorte scutorum *vigintiseptem*. Ut vero hujus Francisci Benucci filius Sacerdos patrem a carceribus liberaret, cessit hæredibus Dominici fructus *terræ prativæ*, ex qua redibat quotannis scutum *unum*, & oboli *quinquaginta* quoad coalesceret summa scutorum *centum*.

Ex his factum est, ut pereunte fundo legato deficeret eleemosina Missarum, quarum tamen hæredes Dominici celebrationem præstiterunt usque ad mensem Augusti anni 1800., sive ex fructibus fundi legati, qui ab annis 1796., & 1797 superfuerunt, sive etiam suppiendo de proprio. Ab hoc tempore omnino cessavit celebratio usque ad annum 1804. Cum interea Oratorium S. Cristophori fatiscens esset, illud in S. Visitatione interdixit Episcopus Feretranus Terzi. Qua ex re per Organum R. Fabricæ S. Petri duo exorarunt hæredes Dominici primum, ut celebrarentur Misse pro ratione redituum, alterum ut transferri posset celebratio ab Ecclesia Plebana Castri Illicis ad Altare B. M. Virginis sub titulo *Consolationis*. Post hæc Populus Villæ *de Cinarelli* suo sumptu restauravit Oratorium S. Cristophori, & nunc postulat, ut in eodem reintegretur celebratio Missarum ex legato Sacerdotis Dominici, simulque damnentur hæredes ad restituendum Oratorio quantum debent. Hæc omnia exponit Episcopus in sua *Informatione*, quam ita concludit. *Idcirco si vobis Emi Patres placuerit approbare, quæ hactenus circa hoc legatum fuerunt facta in tot rerum vicissitudinibus, saltem ex æquitate, & commiseratione erga Oratores poterit legatum istud eidem Oratorio restitui, cum ejus dos coaluerit in Summam scutorum 127. ejusque administratio demandari, vel Parocho pro tempore, vel alteri personæ fide, & & facultatibus idoneæ ab eisdem eligendæ. Interea tamen hæredes Dominici erunt cogendi ad reddendam rationem non tam de satisfactione Missarum correspondentium redditibus annuatim percipiendis, quam de annuali summa redacta, & redigenda ex fructibus agri assignati a Sacerdote Benucci ad hoc, ut semper innotescat, quando hi fructus ad summam scutorum centum pervenerit.*

Sano

Sane translatio Missarum ab Oratorio S. Cristophori ad Plebanam Ecclesiam Castri Illicis facta fuit ex voluntate Testatoris, quia Oratorium S. Cristophori erat ruinosum. Nunc vero cum reparatum sit, videtur in eodem Oratorio restituenda celebratio præsertim quia translatio nullum habuit effectum per Missarum adimplementum in Ecclesia Plebana. Illud tamen statuendum videtur ad quid teneantur hæredes Dominici. Sane jussit Testator, ut *si diano scudi duecento posti a frutto o in terra o in censi*. Quare si hæredes Census biscentum scutorum pro hoc legato compararunt, liberati videntur ab omni oblihatione, nec assignato fundo a Testatore designato eorum culpæ verti potest, si postea perierit, neque ad supplementum tenentur, ex doctrina Benedicti XIV. *de Synod. Diœces. Lib.* 13. *Cap. Ultim num.* 32. Verum in hoc peccasse videntur, quod administrationem retinuerint, & parum caute restitutis sortibus censuum easdem obærato debitori Benucci tradiderunt. Quare saltem ad hoc teneri videntur, ut tantum præstent, quantum ex restitutis Censuum sortibus in cedulis, & pecunia Erosa, haberi nunc posset habita ratione reductionis, quam novo investimento traditæ pecuniæ tulissent. Si EE. VV. censeant ad hoc damnandos esse hæredes Dominici, tum pro summa ab ipsis restituenda concedenda erit reductio Missarum pro ratione fructuum percipiendorum.

Dubium proponitur.

*An, & quomodo si providendum in casu &c.*

Tenori hæredis Dominici ad restitutionem sortium censuum juxta leges reductionis, & reintegrandum esse legatum pium Sacerdotis Lucæ Dominici, ad Ecclesiam S. Cristophori celebratis tot Missis quot reditus ad manualem & quoad præteritum Episcopus cogat hæredes ad reddendum rationem, & docendum de celebratione Missarum.

---

*Sess.* 21. *Cap.* 2. *De Reform*

ASCULANA IRREGULARITATIS Clericus Emidius Sallusti ex Oppiddo Venaruptæ Asculanæ Diæcesis a nativitate claudicat pede dextero, licet incedere possit sine baculo. Cupiens ad Sacros Ordines promoveri, atque se irregularitate ob defectum corporis videns impedi-

ditum, Preces obtulit pro obtinenda dispensatione. Cum vero in precibus exposuisset *che per una naturale imperfezzione contratta nè reni è costretto camminare quasi come Zoppo*, preces reiectæ fuere, quas nunc instantius reintegrat. Auditus Episcopus respondit = *peregi experimentum coram cœremoniarum Magistro, & clare perspexi Clericum Salusti facillime posse ascendere ad Altare, dummodo ante eat cum pede sinistro, & bene, & firmiter sistere in eodem altari, & huc illuc adire, ac omnia rite facere, quæ ad Sacrificium Missæ requiritur absque ea deformitate, quæ scandalum adstantibus afferat, & absque ullo periculo. Impar est faciendo perfectam genuflexionem, sed eam vix signat cum genu sinistro. Nam aliud genu debilitate laborat, & si forsan idem prius velit submittere, vel duo genua flectere, id facere nequit absque alterius auxilio. Sed hoc pariter nullam affert deformitatem, & periculum. Aliqua mihi venit in mentem difficultas, quod scilicet progressu temporis, & lapsu annorum debilior fieret in genu dextero, & ideo non posset firmiter supra altare sistere, quin ab altero sustineretur. Arcessitum idcirco adesse volui Phisicum Professorem, qui perpecto genu debilitate laborante suum proferret judicium. Ipse igitur hanc genu debilitatem non augeri, sed decursu annorum minui posse clarissime asserit. Quod vero ad illius ætatem spectat jam attigit annum vigesimum secundum usque a die decima quinta Martii elapsi anni. Ipse assidue Scholam frequentat, bonis est imbutus moribus, religiose se gerit, Ecclesias sæpissimæ adit, quæ omnia desiderium status Ecclesiastici aperte demonstrant. Si non necessaria omnino, utilis evaderet illius promotio ad Sacros Ordines. Originem enim trahit ex Castro Venaruptæ hujus Diœcesis, ubi satis omnino non sunt Sacerdotes ob domorum disjunctionem, ideoque ad Patriam ipse rediens utilitatem afferret Populo, & confectione alterius Sacrificii, & instructione Juvenum in Ecclesiasticis doctrinis, & consequenter utilitatis esset Ecclesiæ, quin aliquid dicam de necessitate ob Sacerdotum deficientiam.*

Sane irregularis est claudus, qui sine baculo incedere non potest, ut ex *Cap. Nullus Episcopus de Conscrat. Distin.*

*stin.* 1. Nam non potest peragere Sacra ministeria non sine aliorum horrore *Cap. Præsbiterum. Cap. ex tunc de Cleric. ægrotant*. Maxime cum agatur de promovendo, ne ad Altaris ministerium admittantur corpore vitiati. In casu vero Orator incedit sine baculo, & deformitas solum adest in genuflectionibus, quin tamen scandalum in Populo excitet. Concurrunt mores probi, dispositio ad statum Ecclesiasticum, & Ecclesiæ utilitas. Videant Eminentissimi Patres num hisce concurrentibus, & accedente Episcopi, & Capituli assensu sit dispensandus.

Dubium sequitur.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.*

Affirmativè.

*Ses. 22. Cap. 7. de Reform.*

PORTUEN. SUSPENSIONIS MISSARUM. Canonicus Morelli possidet Præbendam in Ecclesia Collegiata Castri Novi Portuensis Diæcesis, quæ cum ob neglectas reparationes domuncularum, & culturam fundorum in deterius abire cæpisset ab Emo Episcopo deprecatus est, ut ei administrator daretur Præsbiter Felix Simoncelli. Hic nunc exponit, quod adeo præbenda oneribus gravatur, ut ex annuo fructu nonnisi scuta quatuor, & oboli octoginta unum libera supersint, ut propterea a triennio fere, quo administrationem suscepit nec domos reparare, nec agros colere potuit. Quare postulat ut suspendatur Missæ 164., quæ ex fundatione sunt celebrandæ, erogato stipendio partim in meliorationem bonorum, partim in alimenta Canonici Morelli Possessoris, qui paralisi laborat.

Emus

Emus Episcopus in sua Informatione refert = *quod ad reducenda bona omnia Præbendæ Canonicalis, de quibus agitur, ad debitum statum, & fructum, opus est impensa saltem scutorum* 104. 13. *quodque dictæ Præbendæ Canonicalis annui redditus in summa scutorum* 45. 58 ½ *omnes pene absorbeantur ab oneribus, & passivis expensis in summa scutorum* 40. 77., *ut iis demptis nonnisi scuta* 4. 81. *supersint Canonico libera in annos singulos. Consequitur hinc, quod in omnimodo defectu modorum omnium, quibus hujusmodi indigentiæ occurri potest, unicum suppetat remedium, quod scilicet suspensis per quinquennium Missarum oneribus importantibus annua scuta* 25. 80. (*salvis Missis conventualibus*) *scuta* 20. *quolibet anno erogentur fideliter in reparationibus, & meliorationibus fundorum Præbendalium juxta Peritorum relationem. Reliqua vero scuta* 5. 80. *reserventur pro alimentis Canonici, quibus additis scuta* 7. *assignatis in postrema partita status passivi hujus Præbendæ pro annuis acconciminis, & alia scuta* 2. 40. *quæ ex alia partita Missarum conventualium eidem obveniunt, conficient in totum summam scutorum* 15. 20., *quibus misere quidem, sed tamen quodamodo vivere potest, maxime in loco ubi vel nullæ, vel paucissimæ sunt Missæ adventitiæ, quarum eleemosinis in supplementum juvari posset*.

Quæ postulat Administrator omnino subvertunt voluntatem fundatorum, qui fraudantur suffragiis ex suspensione Missarum centum sexaginta quatuor. Sed necessitati serviendum putat Emus Episcopus. Nisi enim suspendantur Missæ nullo modo haberi potest pecunia, qua meliora fieri possint bona, & succurri inopiæ possessoris. Hic enim si Altari servit de Altare vivere debet. Ad augendam vero tenuitatem Præbendarum, aliquando onera Missarum reducta fuere *in Placentina Reductionis* 17. *Maii* 1771. Videant igitur EE. PP. num sequenda sit Sententia Emi Episcopi, ut suspendantur ad quinquennium onera Missarum exceptis Missis conventualibus. Ita enim & annua scuta 20. erogari poterunt in meliorationem bonorum, & annua *quindecim* in alimenta Possessoris.



Hoc

Hoc unum addendum puto, quod agitur de melioramentis Vinearum, quae si citius expleantur, citius etiam dabunt uberiores fructus, & agitur de restaurationibus Domorum, quae si differantur per quadriennium, interim Domus deteriores evadent, & majori postea expensa erunt reparandae. Quapropter fortasse non inopportunum esset facultates tribuere creandi debitum fructiferum scutor. 100., & celebratis nonnullis Missis, eas tantum suspendere ad quindennium, vel duodennium, quae necessariae erunt ut interusuria solvantur, annua rata deponatur in extinctionem Debiti, & quod ab Emo proponitur, tribuatur in causam alimentorum Canonico Morelli. Quatenus Missae 24. annuae celebrentur pro Sebastiano Quadrari pro quo 104. celebrandae essent, & 18. pro Anima Pierantonj, qui annuum onus imposuit Missarum 60., suspensae erunt annuae Missae 118. & annua supererunt scuta 17. & ob. 70. quae ad annua scuta fere viginti adaugentur ex parsimonia Vini & Cerae; ideoque suppleri poterit interusuriis, necnon propositis ab Emo quinque scutis & obul.80. pro augendis Canonici alimentis, & demum pro rata deponenda in extinctionem, quae quidem post quinquennium una cum numero Missarum augeri poterit arbitrio Emi Episcopi prout uberiores dabunt novellae Vineae fructus.

Dubium proponitur.

*An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti

NE-

NEPESINA HEREDITATIS. Postremis tabulis Laurentius Antonini Archipræsbiter Turritæ ita de re sua disposuit = *Lascio tutto il mio asse rinvestito a questa Chiesa Parrochiale di S. Tommaso Apostolo col peso all'Arciprete pro tempore di obligare il sotto Curato a far la Scuola almeno una volta il giorno gratis, e di celebrare, o di far celebrare tre Messe la Settimana in perpetuo in giorni ad libitum per mio Suffragio, e de miei defonti, e coll'obligo di depositàre in ogni anno scudi* 15., quæ in pios usus, erant eroganda. In codicillis vero idem Testator declaravit = *che non avendo disposto della mia libreria questa la lascio alla cura, o sia Parrochia di S. Tommaso col peso all' Arciprete pro tempore di una Messa cantata ogni anno nel giorno del suo anniversario come anche tutte le copie degl' istrumenti di acquisti fatti*. Quæstio est nunc, utrum hæreditas relicta sit Parrocho, ita ut ejus congruam augere debeat, vel potius Ecclesiæ Parrochiali, ut ejus Fabricæ cedat. Ut a vobis hæc controversia dirimatur postulat Archipræsbyter. Episcopus in sua Informatione putat addicendam esse Ecclesiæ ex rationibus inferius recensendis.

*Sess.* 14. *cap.* 2. *de Reform.*

Sane dubitandi ratio ex eo oriri potest, quod licet hæreditas directe relicta sit *alla Chiesa Parrochiale di S. Tomasso*, nihilominus Archipræsbitero imponitur onus celebrationis Missarum, propptereaque si in incommodum sentit, & commodum sentire debere videtur. Verum Episcopus censet *legatum relictum esse Ecclesiæ Parrochiali non vero Parocho, qui considerari debet tamquam administrator Ecclesiæ. Casus non dissimilis ni fallor decisus fuit ab ista S. Congregatione in una Camerinen. Hæreditatis* 16. *Junii* 1796. *Agebatur ibi de hæreditate relicta Ecclesiæ Colleggiatæ cum onere tamen, quod Canonici ejusdem solvere tenerentur sex puellis nubilibus pro dote scuta centum pro una vice tantum. Orta controversia super fructuum dictæ hæreditatis attributione inter Priorem Ecclesiæ, qui contendebat fructus spectare ad ipsam Ecclesiam, & in illius Beneficium erogandos, ac Canonicos, qui authumabant sese fuisse a Testatore principaliter contemplatos, & sicuti honoratos in dotium solutione, ita etiam honoratos titulo hæreditatis. Proposito igitur Dubio = An fructus dictæ hæreditatis sint erogandi in beneficium Ecclesiæ, vel potius in privatum commodum Prioris, &*

 *Ca-*

*Canonicorum* =, S. Congregatio respondit *Affirmative ad primam partem* .

Dubium ptoponitur .

*An fructus hæreditatis Archipræsbiteri Antonini sint erogandi in benefieium Ecclesiæ , vel potius in congruam Archipræsbiteri Turritæ pro tempore in casu &c.*

*Die Sabbathi 26. Martii 1808. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

*Sess.22. Cap.7. de Reform.*

PORTUEN. SUSPENSIONIS MISSARUM

*An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum in casu &c.*

Affirmative pro Missis 108. ad duodennium celebratis quotannis Missis 24. pro fundatione Quadrari, &Missis decem & octo pro fundatione Pierantoni, & cum facultate arbitrio Emi Episcopi imponendi censum super bonis Canonicatus in summa scutor. 100: ad effectum erogandi in meliorationem bonorum, erogata eleemosina Missarum suspensarum in solutionem fructuum, & extinctionem sortis census, & in augumentum alimentorum Canonici Morelli, & ad Mentem.

*Sess.14.Cap.2. de Reform.*

NEPESINA HÆREDITATIS.

*An fructus hæreditatis Archipræsbiteri Antonini sint erogandi in Beneficium Ecclesiæ, vel potius in congruam Archipræsbiteri Turritæ pro tempore in casu &c.*

Dilata ad primam

*Sess.21.Cap.4. de Reform.*

FOROSEMPRONIEN. ERECTIONIS PARECIÆ. Cathedralis Ecclesia Forosemproniensis, & Parocchialis est, Curamque Animarum per Vicarium amovibilem exercet in agro, in quo ea regio, quæ appellatur *Piano di S. Martino*, distat ab Ecclesia Parocchiali, & ob longum, asperumque interpositum iter spiritualibus non-

nonnunquam destituitur auxiliis . Dum adhuc administrationem Forosemproniensis Ecclesiæ retinebat modernus Episcopus Laureti, & Recineti, ut consuleret hisce Ruricolis, suasit Capitulo melius saluti Animarum futurum, si hæc regio a Paræcia Cathedrali dismembraretur, constituto novo Parocho in Ecclesia rurali S. Martini, quam circumstant *tres* supra sexaginta Familiæ Colonorum. Annuit Capitulum = *con obligare il nuovo Paroco per detta cessione, e dismembrazione di pagare annualmente libre dieci di cera bianca lavorata al predetto Capitolo, e con cedere solamente al nuovo Paroco il gius tumulandi, e l'amministrazione di tutti li Sacramenti, e di esiggere la Decima Sacramentale a riserva del Sagro Fonte Battesimale, il quale dovrà esser sempre, ed in perpetuo di privativo gius dell' anzidetto Capitolo nel modo, e guisa, che si prattica, e resta stabilito colle altre cure suburbane della Città medesima, a tenore delle quali dovrà eriggersi questa nuova Parocchia eccettuata la convenzione del Canone di sopra espressa, e riservato, che la nomina del Paroco da fissarsi a questa nuova Parocchia debba sempre, ed in perpetuo risiedere presso il precitato Capitolo a riserva della prima nomina, che dovrà farsi da Monsig. Vescovo, e successivamente dovrà eleggersi capitolarmente dal numero de' Sigg. Canonici coll' approvazione di Monsig. Vescovo pro tempore, e Bolle di sua Cancellaria Vescovile esclusa in futuro, ed in perpetuo qualunque regola di Datarìa Apostolica, affinchè resti sempre, ed in perpetuo il giuspatronato attivo presso il prelodato Eminentissimo Capitolo* = .

Ut vero congrua novo Parocho assignari posset, & Ædes Parocchiales extrui, & Sacra Suppellectilia comparari, nonnulla proposuit Episcopus Administrator : De his exquisitum est Votum Emi, & Rmi Saluzzo, qui omnia elucubratissimè patefacit, & illustrat. Votum hujusmodi est

„ Vix ad eam Ecclesiam regendam venit spectatissimus
„ *Antistes Stephanus Bellini*, qui modo Laureto, &
„ Recineto præest Episcopus succurrere studuit Popu-
„ lo, qui in Plano S. Martini extra Civitatem commo-
„ rabatur, nec commodè habere poterat, quæ neces-
„ saria sunt ad salutem ab Ecclesiæ Cathedralis Paro-
cho,

„ cho . Propterea collatis consiliis cum suæ Cathedra-
„ lis Capitulo, penes quod residet habitualis cura,
„ haud potuit quidquam proficere, cum novis subeun-
„ dis oneribus imparem omninò esse Capitularem Mas-
„ sam invenisset. Animum tamen non despondit, ac
„ tandem obtinuit, quod in votis habebat: nam ei se
„ obtulit prius quidam Sacerdos *Augustinus Pierbo-*
„ *ni*, qui pro erigenda nova Paræcia, opportuna me-
„ dia ministravit. Nedum enim is extrui eleganti for-
„ ma *Sancti Martini Ecclesiam* curaverat, verum
„ etiam in se onus rejecit elevandi Domum Parocchia-
„ lem, effodiendi, extruendique sepulcra, suppelle-
„ ctilia necessaria ad cultum divinum, & Ecclesiæ de-
„ cus comparandi. Sed dos erat constituenda pro Pa-
„ rochi congrua. Id etiam præstitit *Augustinus*, præ-
„ diumque sui juris in hanc causam sponte, ac liberè
„ cessit. Quoniam verò fructus quotannis ex præfato
„ prædio percipiendi satis non erant ad congruam:
„ huic defectui abundè consultum est ab Episcopo ad-
„ ditione Pii Legati Missarum viginti quinque, quo di-
„ ctum prædium gravatum est; applicatione alterius
„ Cappellaniæ merè Laicalis, quæ, nuncupato nomi-
„ ne a Fundatore, dicitur *Tomassini*, ac decimis co-
„ lonicis, seu sacramentalibus ab iis, qui novæ Paræ-
„ ciæ subsunt persolvendis. Ex his omnibus coalescit
„ summa sc.101. 57 $\frac{1}{2}$, immò verius dicam sc.109.57$\frac{1}{2}$,
„ quia scut.8., quæ in notula detrahuntur utpote ero-
„ ganda in Missis pro Populo, in congruam sunt com-
„ putanda.

„ „ Dum autem *Sacerdos Pierboni* prædium Ecclesiæ dona-
„ vit, has simul apposuit conditiones.

I. „ *Che in detta Chiesa di S. Martino, mediante il Be-*
„ *neplacito Apostolico si erigga la Parocchia a bene-*
„ *fizio di quella Popolazione adjacente.*

II. „ *Che in primo Paroco venga eletto, premesso il Be-*
„ *neplacito Apostolico sudetto, il medesimo cedente*
„ *Sig. D. Agostino Pierboni.*

III. „ *Che in perpetuo, ed in infinitum la nomina* ( vo-
„ cabulum *nomina* haud sumi debet pro jure præsen-
„ tandi, quod Capitulo Cathedralis reservatur, sed jus
„ merè passivum importat ) *e gius Padronato passivo*
„ *sia sempre nella di lui Famiglia, ed Agnazione.*

IV. „ *Finalmente, che venghino accordate dalla Santa*
*Sede*

„ *Sede Apostolica tutte le altre condizioni espresse ,*
„ *e descritte nel piano formato sopra l' erezioue della*
„ *sudetta nuova Parocchia di S. Martino , a tenore*
„ *anche , ed in conformità del Memoriale , che sarà*
„ *per umiliarsi alla Sagra Congregazione del Concilio*
„ *da Monsig. Illmo , e Rmo Stefano Bellini Vescovo*
„ *di Loreto , e Reeanati , ed Amministratore della*
„ *Chiesa di Fossombrone .*

„ Ita in primo Instrumento . Sed quoniam in eo satis cau-
„ tum non fuerat , quoad ædificationem Ædium Paro-
„ chialium, Sepulchrorum , & residentiam Parochi in-
„ fra novæ Paræciæ confines , donec nova Ædes fue-
„ rit ædificata , prout etiam nihil in eo dicebatur de
„ comparandis necessariis suppellectitibus , idcircò su-
„ per his sciscitatus Episcopus Administrator curavit ,
„ ut ab Augustino Pierboni perspicuè id declararetur ,
„ quod non adhuc erat satis expressum , vel aliquam
„ gignère poterat difficultatem ; ac propterea in altero
„ Instrumento postmodum confecto , additum est .

„ *Inoltre il memoratò Sig. D. Agostino Pierboni promet-*
„ *te , e si obliga per se , e suoi &c. di costruire nel ter-*
„ *mine , e tempo di anni due da principiare a decor-*
„ *rere dal giorno dell' erezione della Parocchia a sue*
„ *proprie spese la Casa Parocchiale , e li Sepolcri atti ,*
„ *e sufficienti per detta Parocchia , non che di prove-*
„ *dere del proprio entro il limitato tempo di due anni*
„ *le necessarie suppellettili sacre per servizio di detta*
„ *Parocchia ; e se mai nel giro di detti due anni , e*
„ *così dopo aver preso il possesso di detta Parocchia ,*
„ *il medesimo Sig. D. Agostino fosse sorpreso dalla*
„ *morte , che Dio tenga lontana , e che non fosse ne*
„ *principiato , o non perfezionato il fabricato di detta*
„ *Chiesa Parocchiale , e Sepolcri , e che non fosse sta-*
„ *ta proveduta la Chiesa de' necessarj Sacri Arredi ,*
„ *adesso per allora intende , e vuole , che i di lui*
„ *Eredi sieno tenuti ad un tale adempimento di fabri-*
„ *cato , e di provedimento delle dette Suppellettili &c.*

„ *Similmente promette , e si obliga , durante il biennio*
„ *sudetto , di abitare in una di lui propria Casa po-*
„ *co distante dalla sudetta Chiesa di S. Martino &c.*

„ *Finalmente come attuale Cappellano della Cappella*
„ *Tomassini , presta ogni suo assenso , e consenso ,*
„ *quatenus opus &c. affinchè venga incorporata in*
„ *detta nuova Parocchia da eriggersi .* Ro-

„ Rogatum Capitulum Cathedralis, penes quod habitua-
„ liter residet Cura illius Plebis, quæ modo novæ Pa-
„ ræciæ erigendæ subiicienda est = *haud detrectavit*
„ *suum præbere assensum*, .... *retento sibi tantum-*
„ *modo jure Patronatu activo præsentandi Parochum*,
„ *& quod præfatæ Parœciæ Bullæ in perpetuum ab*
„ *Episcopali Cancellaria expediantur, amota in futu-*
„ *rum*, *& in perpetuum qualibet Datariæ Apostolicæ*
„ *regula*; *adjuncto Canone perpetuo decem librarum*
„ *ceræ albæ exculta*, *persolvendæ in Festo Purifi-*
„ *cationis Beatæ Mariæ Virginis a S. Martini Paro-*
„ *cho* = veluti refert Episcopus in prima Informatione,
„ & liquet ex actis Capitularibus. Nec desideratur ejus-
„ dem Capituli consensus quoad jus passivum reserva-
„ tum Familiæ, & Agnationi Augustini Pierboni =
„ *dummodo* (sunt Episcopi verba) *in præfatu Pierbo-*
„ *ni sobole subjectum adsit documentis omnibus a Sa-*
„ *crosancta Tridentina Synodo prærequisitis plane or-*
„ *natum*, *annuente semper Episcopo pro tempore* =.
„ Nam licet dum primum Canonici capitulariter con-
„ gregati reservando sibi jus præsentandi, ne verbum
„ quidem fecerint de jure passivo; in altero tamen con-
„ ventu habito *die* 29. *Novembris* mox præteriti *an-*
„ *ni* 1807. huic etiam consulentes, ut in Familia, &
„ agnatione Pierboni perpetuo consisteret, unanimiter
„ convenerunt.

„ Parochus etiam audiendus fuisset, si qui modo curam
„ gerit illius Plebis, Rector, aut Vicarius perpetuus
„ esset, cujus jura tuenda forent. Verum, ut bene
„ ait Episcopus = *Nec Parochi assensus exquiritur*, qui
„ *agit tantum vices Cappellani mobilis ad nutum Ca-*
„ *pituli* = præmiserat namque = *hanc Cathedralis Pa-*
„ *ræciam moderari a Cappellano Curato*, *in cujus*
„ *subsidium*, *duobus laudatæ Cathedralis Ecclesiæ*
„ *Mansionariis adnexum est onus Infirmis adsisten-*
„ *tiam præbere*, *idque ob congruæ defectum*, *cui sup-*
„ *petias ferre non valet Capitalum attenta reddituum*
„ *inopia*.

„ Enim vero si de congrua novo Parocho in perpetuum
„ assignanda sit sermo, tria obversabantur, quæ ma-
„ gis declarari oportebat. Haud satis constabat *primum*
„ pium legatum viginti quinque Missarum, quo gra-

„ vatum est Prædium ab Augustino Pierboni Ecclesiæ
„ S. Martini donatum liberum esset, proindeque posset in
„ causam congruæ computari. *Secundum* num Indoles
„ Cappellaniæ Tomassini novæ Pareciæ uniendæ talis es-
„ set, ut decreta unio nemini præjudicium inferret,
„ nullius lædaret jus, an potius aliqua derogatione in-
„ digeret. *Tertium* tandem num decimarum, quas coloni-
„ cas, seu sacramentales dicimus, onere gravanda foret
„ Plebis illa, quæ a Cura Cathedralis avulsa, novæ
„ Paræciæ erit subiicienda.

„ Verum hisce difficultatibus, nova sua informatione,
„ occurrit Episcopus. Nam = *Legatum Missarum vi-*
„ *ginti quinque constitutum a defuncta Joanna de Az-*
„ *zis in unum corpus redactum remanet, cum bonis*
„ *abdicatis ab ipso met Sacerdote Pierboni in favorem*
„ *erectionis novæ Parœciæ, retento onere eidem le-*
„ *gato satisfaciendi in prædicta S. Martini Ecclesia.*
„ Et revera ex venditionis Instrumento palam fit da-
„ tum fuisse Episcopo pro sui arbitrio erogandi favore
„ Ecclesiæ S. Martini, si quid post adimpletas condi-
„ tiones in ejusdem venditionis Instrumento appositas,
„ & venditricis mortem superfuisset de pretio conven-
„ to. *Se vi restasse qualche somma in mano del su-*
„ *detto Signor Don Agostino Pierboni &c. la sudetta*
„ *Signora Giovanna Azzi venditrice vuole &c. che ci*
„ *si formi un Legato Pio alla Chiesa di S. Martino a*
„ *piacere di Monsignor Vescovo pro tempore, dando*
„ *al medesimo tutte le necessarie, ed ample facoltà.*
„ Quum igitur superextantibus scutatis biscentum quin-
„ quaginta post Joannæ obitum Episcopus imposuerit
„ onus celebrandi Missas viginti quinque in Ecclesia S.
„ Martini, & hoc onus inseparabile sit a fundo ab Au-
„ gustino pro nova Paræcia erigenda abdicato, nemini
„ fit injuria, si ad Parochum pro tempore hujusmodi
„ onus una cum Fundi redditibus in perpetuum tran-
„ seat.

„ Ad unionem vero Cappellaniæ Tomassini, quod attinet
„ hanc merè laicalem esse, & liberæ collationis Episco-
„ pi Forosempronii comperii: Quare si is jure suo cedit,
„ nemo alius rogandus videtur, qui suum pro applica-
„ tione prestet assensum. Sed quoniam eadem Cap-
„ pellania erecta est in Cathedrali Ecclesia, Apostolica

au-

,, auctoritas intercedat oportet, ut transferri possit ad
,, Ecclesiam S. Martini, & adimpletis oneribus, in
,, partem congruæ computari. Neque cunctandum est,
,, donec per obitum, vel alio quopiam modo Cappel-
,, lania vacet, quum idem ille eam modo possideat,
,, qui primus novæ Paræciæ Rector est designatus,
,, quique, etsi necessarium non sit, unioni assenti-
,, tur.

,, Ac tandem cessat difficultas, quæ oriebatur ab onere
,, imponendo Parochianis S. Martini persolvendi deci-
,, mas Colonicas, sive Sacramentales. Ut enim refert
,, Episcopus in secunda Informatione = *minimè dubi-*
,, *tandum est, quin cæteræ suburbanæ Parœciæ hujus*
,, *Civitatis obstringantur ad solutionem decimæ colo-*
,, *nicæ, quæ etiam sacramentalis dicitur, quarum*
,, *exemplo constitutum est decimale tributum in favo-*
,, *rem Parœciæ S. Martini, habito prius assensu om-*
,, *nium Patrum familias novam Parochiam constituen-*
,, *tium* = Quod nedum ipse testatur, verum etiam ad-
,, junctis comprobat Documentis.

,, Quæ cum ita sint, nil insuper desiderandum videtur,
,, ut locus fiat petitæ dismembrationi, & respective
,, erectioni novæ Paræciæ. Etenim causæ non desunt,
,, quæ hujusmodi remedium efflagitant, & saluti Ani-
,, marum prospiciendum est. Id jubet *Alexander III.*
,, *in cap. ad Audientiam de Eccles. ædifican., vel re-*
,, *paran.* id præcipit *Tridentina Synodus sess.*21 *cap.*4.
,, Nam dismembrandi, & erigendi facultas fit, si *Po-*
,, *pulus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit*
,, *sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, &*
,, *cultui peragendo*, neque alia media comparari queant,
,, quibus satis consultum sit iis, *qui ob locorum di-*
,, *stantiam, sive difficultatem, sine magno incommo-*
,, *do ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia*
,, *audienda accedere non possunt*. Quod autem adeo
,, cordi erat PP., ut novas erigi debere Paræcias jusse-
,, rint etiam *invitis Rectoribus*. Quamobrem si in
,, proposita facti specie, nisi proprius constituatur Re-
,, ctor *in Suburbio S. Martini*, nequeat Plebs illa ha-
,, bere, tum quæ ad Cathechesim pertinent, tum quæ
,, præstat Ecclesia e Sæculo migraturis auxilia, maxi-
,, mè opportunum, imò etiam necessarium erit novam
,, Paræciam erigere.

 ,,Ete-

„ Etenim quæ duo in rem hanc requiruntur *necessitas* „ nempe , atque *utilitas*,ut docent *Gebuff. in Praxi tit.* „ *de revoc. union. n.* 6. *Azor. Instit. Moral. part.* 2. „ *lib.* 2. *cap.*28. *quæst.*20. *Franc. de Ecclès. Cathedral.* „ *cap.*8. *num.*487. *Rigant. ad Regul. Cancell.* 22. *nu-* „ *mer.*82. *Reclus. de re Parochiali part.*1. *tit.*12. *n.*63., „ & Sac. hujus Congregationis Sanctionibus firmatum „ est , ambo concurrunt . Emergit *necessitas* ex loco- „ rum distantia , quandoquidem Populus , qui in Su- „ burbiis moratur , sæpe sæpius spiritualibus destitui- „ tur auxiliis , quia nimis a Cathedrali distat , cujus „ Curæ limites *per plura milliaria progrediuntur in* „ *apertam planitiem* . Accedit magnus Animarum nu- „ merus , quæ Cathedrali subiiciuntur , & in sola Ci- „ vitate *quatuor mille* vel æquant , vel superant . His , „ ac suburbiorum Incolis satis non est unus Cappella- „ nus Curatus , tametsi duos habeat Mansionarios ad „ succurrendum Infirmis deputatos , unde fit , *ut ne-* „ *queat auxilia illa præbere* , *quæ admodum sunt ne-* „ *cessaria Animabus in extremo agone luctantibus*, *nec* „ *raro evenit* , *ut ex hac vita decedant absque Sacra-* „ *mentorum subsidio* , *ob loci distantiam* = , veluti te- „ statur Episcopus . Sed quoniam Massa Capitularis „ impar prorsus est novis subeundis oneribus , si nec „ habet , unde congruam constituere possit , ut Vica- „ rius perpetuus deputetur in ipsa Cathedrali ; jam pa- „ tet ultro libenterque amplectendum esse remedium , „ quod ministrat pia liberalitas Sacerdotis Pierboni , „ quodque conforme est Sacrosanctæ TridentinæSynodi „ Decretis .

„ Eoque magis , quia erectione novæ Parœciæ nedum „ *necessitati* , verum etiam *utilitati* consulitur . *Ne-* „ *cessitati* quidem Populi , qui Plebem novo Rectori „ subiiciendam constituit : *Utilitati* vero Animarum , „ quæ intra Civitatem regendæ a Cappellano Curato „ Cathedralis supererunt . Is enim , quo magis solutus „ erit a laboriosis , molestisque curis , quas necessario „ secumferunt Locorum , ad quæ accedere oportet , di- „ stantiæ, & multiplex Animarum in iis degentium nu- „ merus , eo etiam magis assiduam præstare operam „ poterit Incolis Civitatis, qui propterea ex hac dis- „ membratione , novaque erectione non levem utilita-

„ tem

„ tem , ac emolumentum erunt percepturi . Nec quid-
„ quam deperit Cathedrali Ecclesiæ , cui tanquam Ma-
„ tri , ab illa S. Martini quotannis stato die in signum
„ subjectionis , ac filialis obsèquii decem librarum Ceræ
„ pondus erit præstandum ; & Capitulo in perpetuum
„ reservatur jus Parochum præsentandi.

„ Aliqua fortasse suboriri quæstio posset circa unam , al-
„ teramve ex conditionibus a donante Pierboni apposi-
„ tis , tum etiam circa petitam unionem pii Legati Jo-
„ annæ de Azzis , & Cappellaniæ Tomasini pro con-
„ grua dote constabilienda . Ille namque Prædium Ec-
„ clesiæ cedit , sed una simul ad novam Paræciam re-
„ gendam sibi prælationem reservat , vult insuper , ut
„ in perpetuum ad suos de Familia , & agnatione jus
„ passivum transeat . Porrò conditiones hujusmodi ali-
„ quam fortè includere labem viderentur , nisi in su-
„ spensivo essent positæ , utpote quæ nullam habituræ
„ sint firmitatem nisi accedente Apostolicæ Sedis Be-
„ neplacito . At in publicis , quæ confectæ sunt , do-
„ nationis tabulis hujusce Beneplaciti petendi facultas
„ reservata est , quod & concedèndum videtur , quia
„ non ullo humano fine sed zelo motus , & charitate
„ in proximum , censendus est ille , qui multo plus
„ Ecclesiæ elargitur , quam quod sit illud , quod sibi ,
„ & agnationi suæ rèservat . Aliquod donandum est
„ illi , qui ære multo , multoque labore tot beneficiis il-
„ lam cumulavit Ecclesiam , ac perpetuis redditibus
„ auxit , sine quibus eadem haud potuisset Parrochia-
„ lis honore decorari.

„ Ipse enim est Augustinus Pierboni , qui postquam ele-
„ ganti forma ædificavit Ecclesiam ; idoneam ad Paro-
„ chi sustentationem congruam constituit , cum Domi-
„ nus sit prædii , quod Ecclesiæ cedit , & actu possi-
„ deat , quæ unienda sunt , pium nempe legatum , &
„ Cappellaniam . Ipse est , qui in se , suosque hæredes
„ reiicit onus construendi ædes Parochiales , & Sepul-
„ cra , nec non necessarias suppellectiles comparandi
„ ad cultum divinum , & Ecclesiæ decus . Quamobrem
„ si Augustinus Pierboni largitionibus suis benemeritus
„ de Ecclesia est , decet etiam , ut eo fruatur jure, quod
„ beneficiorum fundatoribus competit , videlicet appo-
„ nendi in limine fundationis cum consensu Episcopi

„ con-

„ conditiones sibi benevisas, veluti docent *Lotter. de*
„ *re benefic. lib.* 1. *quæst.* 31. *num.* 3. *Tondut. quæst.*
„ *benef. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. *Monacell. part.* 1.
„ *tit.* 2. *formul.* 1. *num.* 7., *& sequen.*, & tenet *Rota*
„ *part.* 1. *recent. decis.* 530. *num.* 2. Quod etiam obti-
„ net si quis fundando, dotando, vel extraundo, ne-
„ dum certas adiicit leges, quibus in futurum juri Pa-
„ tronatus prospiciat, verum etiam sibi jus prælationis
„ reservet, veluti late probat *Pitonius de contro*v. *Pa-*
„ *tronor. allegat.* 34. *num.* 14. *ad plures sequen.*

„ Aliquid jam dixi de unione pii legati Joannæ de Azzis,
„ & Cappellaniæ Tomassini ad supplementum idoneæ
„ congruæ. Illud liberum est, & Prædio adnexum,
„ quod ex donatione venit in dominium Ecclesiæ, in
„ qua inplendum est onus; & cum nemo sit vel active,
„ vel passive vocatus, nihil esse videtur, quod indigeat
„ derogatione: ista vero, ut notum est supra, libere
„ confertur ab Episcopo, quin ullus sit passive voca-
„ tus; Episcopus vero illud tenens a Tridentino Con-
„ cilio *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.*, recte sapienter-
„ que constitutum, quod Beneficiorum unione succur-
„ rendum est Paræciarum indigentiæ lubenti animo ju-
„ ri suo cessit. Nihilominus hac in parte Apostolica au-
„ ctoritate intercedat oportet, quam idem Episcopus
„ pro bono gregis efflagitat.

„ Cum igitur quæ satis explorata non videbantur nova
„ Episcopi administratoris informatione enucleata, quæ
„ vero aliquam difficultatem creabant, novis documen-
„ tis penitus fuerint sublata; annui posse existimo petitæ
„ instantiæ, & admissa dismembratione, & respectiva
„ erectione novæ Pareciæ *cousulendum SSmo pro Be-*
„ *neplacito Apostolico*, *quoad conditiones ab Augusti-*
„ *no Pierboni in Instrumentis appositus*, *& derogatio-*
„ *ne quoad Cappellaniam Tomassini novæ Pareciæ*
„ *uniendam*.

„ Quoniam vero interea temporis novus Pastor Forosem-
„ proniensi Ecclesiæ datus est, e re mea esse duxi eum,
„ dum adhuc in Urbe versatur, audire. At is nedum
„ adprobavit, commendavitque summopere, quæ ab
„ suo Decessore gesta sunt; vèrum etiam noscens, no-
„ vam hanc paræciæ erectionem utilem esse, & neces-

sa-

,, sariam , enixis precibus EE. VV. exorat , ut cum
,, suis , tum Incolarum Plani S. Martini votis quam
,, primum satisfacere dignentur .

Proponitur Dubium .

*An , & quomodo sit locus dismembrationi , & erectioni novæ Parœciæ in casu &c.*

Affirmative in omnibus juxta votum Emi Relatoris , & D. Secretarium cum SSmo .

PORTUEN. REPARATIONIS ECCLESIÆ , ET CELEBRATIONIS MISSÆ . In fundo *di Torre in Pietra* , præter Parrochialem Ecclesiam S. Antonii Abbatis, est altera Sacra ædes nuncupata S. Mariæ Magdalenæ in loco dicto *la Leprignana* . Constat ex actis S. Visitationum , quas annis 1630. 1667., & 1691. peræegerunt cl. me. Cardinales *Ginnasius* , *Ginnettus* , *& Chisius* in ea Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ Missam diebus festis celebrari sumptibus Dominorum fundi , quem nunc possidet gens Falconieri . Testes porro deponunt , quod fatiscentem illam Ecclesiam restauravit Marius Falconerius suo sumptu , & in ea celebratum fuisse Sacrum per triennium , a qua postea cessatum fuit , quia Ecclesia ruinosa facta est . Quare cum Emus , & Rmus Cardinalis Antonelli eam visitaverit , monuit Nob. Virum Alexandrum Falconieri , ut eam reficeret , & interea præstaret celebrationem secundæ Missæ in Ecclesia Parrochiali . Nihil tamen profecit , proptereaque ad S. hanc Congregationem reclamavit , & oblato vadimonio in jus vocavit hæredes defuncti Alexandri . Sed interea evecto Emo Antonelli ad Ecclesiam Velitrensem , qui ei successit in Ecclesia Portuensi Emus & Rmus Valenti causam prosequitur .

*Sess.21. cap.7. de Reform.*

Quæ-

Quæritur in I. Dubio num cogendus sit Baro ad restaurationem Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ, & ad præstandam celebrationem Missæ diebus festis de præcepto in eadem Ecclesia. Sane cum Baro Patronus sit ejusdem Ecclesiæ omnino tenetur ad restaurationem, ut tradunt *Antonell. de Regim: Eccles. Lib.* 1. *Cap.* 2. *num.* 33. *Amostaz de Caus. piis Lib.* 5. *Cap.* 6. *Tom.* 2. *Ric. in Prax. part.* 4. *Resolut.* 342. *in princip. Piton. de Controv.*, *Patron. Alleg.* 12. *num.* 4. *&* 6. Accedit factum ipsius Patroni Marii Falconerii, qui Ecclesiam restauravit, ut Testes deponunt. Constat autem ex actis SS. Visitationum, atque etiam ex Testibus, quod in illa Eclesia Missa semper fuit celebrata diebus festis sumptibus Patroni. Unde inducta videtur rationabilis consuetudo, ex qua obligatur Patronus ad præstandam in posterum hanc celebrationem, ut tradit *Gloss. in Cap. Ultim. verb. Consuetudo in* 6.

Quod si hæc restauratio a Barone fieri non debeat; tum in II. Dubio, queritur num cogi possit Baro ad destinandum alium Sacerdotem præter Parochum pro celebratione secundæ Missæ diebus festis in Ecclesia Parrochiali *Turris in Petra*. Id sane requirit necessitas, cum Paræcia illa late protendatur per passuum millia decem, & octo, ac impossibile ferme sit, ut Pastores derelinquant gregem, & omnes simul ad Missam accedant. Hinc Constitutiones Sinodales Diæcesis Portuensis præscribunt *Cap. XIII.* ut *in Ecclesiis Parrochialibus duæ saltem Missæ distinctis horis diebus festis celebrentur* atque ut *in Ecclesiis ruralibus in quibus usus, atque etiam obligatio celebrandi missam prædictis diebus obsolevit, iterum restituatur*. Si igitur non restauratur Eclesia S. Mariæ Magdalenæ necesse est, ut in Ecclesia Parrochiali diebus festis altera celebretur Missa.

Contra hæc Defensor Familiæ Falconeriæ negat quod neque ex jure, neque ex contractu cogi possit Dominus Fundi ad reædificationem Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ. Nam hæc Parrochialis non est, & Tridentinum *Sess.* 2. *cap.* 7. *de Reform.* ad reædificandas, vel reficiendas Ecclesias Parrochiales post Parochos cogit Patronos, & eatenus cogit, ut omnino teneantur ad restaurationem, sin minus patronatum amittant, ut declara-

ravit S. M. Benedictus XIII. *in Constitut. Pius, & misericors*, & docent *Pignattel. tom. 9. Consult.* 82. *num.* 145. *Sperell. decis.* 67. *num.* 10. *Benedict. XIV. Instit. Ecles.* 100. §. 4., *& S. Congregatio in Ragusina* 3. *Augusti* 1686.. Ita sane fert juris dispositio si de Ecclesia Parrochiali ageretur. Verum Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Parrochialis non est, sed *Succursalis*, quam vocant, & proinde nemo cogi potest ad illam restaurandam, sed ex Tridentini dispositione, quatenus reparari non possit prophananda est.

Neque domus Falconieri tenetur ad reparandam Ecclesiam ex *contractu*. Nulla enim probatur ab ipsa suscepta obligatio, sed si quæ umquam in eadem inerat obligatio, ea certe erat cum in toto latifundio una extabat Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ. At anno 1723. novam amplioremque ii de domo Falconierii ædificarunt Ecclesiam S. Antonii Abbatis, quæ postmodum anno 1755. canonicæ erecta fuit in Paræciam, ac propterea obligatio restringitur ad manutentionem Ecclesiæ Parrochialis. Nec acta visitationis superius allegata quidquam sibi obesse putat Falconeriorum Defensor. Nam respicere dicit illud tempus, quo non extabat Ecclesia Parrochialis. Reque vera in actis S. Visitationis *anni* 1776. enunciantur quod = *Surgebat olim super altum collem Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ dicata, sed hodie ea ob injuriam temporum diruta est*.

Quoad celebrationem Secundæ Missæ negat se ullo modo teneri. Quin hoc jus ex consuetudine deduci valeat. Nam consuetudo celebrandi Missam in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ cohibetur ad illud tempus, in quo unica erat Ecclesia, sed post erectam Parrochialem nulla alia obligatio injuncta est Patrono, nisi ut congruam Parocho assignaret, & Parocho, ut Missam celebraret.

Ex his igitur, quæ in *Allegationibus* utrinque distribuendis deducuntur dirimenda erunt Dubia.

I. *An sit locus præfixioni termini ad effectum cogendi Baronem Turris in Petra ad restaurationem Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ in fundo della Leprignana cum onere celebrationis Missæ diebus Festis de precepto in casu &c.*

Et quatenus *Negative*.

II. *An teneatur Baro alterum Præsbiterum præter Parochum destinare pro celebratione secundæ Missæ diebusfestis de præcepto in Ecclesia Parrochiali Turris in Petra adformam Decreti Emi Episcopi in casu &c*

Ad I. Negative.

Ad II. Dilata & coadjuventur probationes super necessitate Secundæ Missæ.

*Sess. 21. Cap. 4. de Reform.*

PORTUEN. DEPUTATIONIS CAPPELLANI QUOAD PAROCHIAM PALI. Castrum Pali ad mare superum pertinet ad Portuensem Diecesim, & Feudum est inclitæ Gentis Odescalchi. Habet agrum adnexum, qui late porrigitur in porrectum septem mille passibus in anfractum quatuor mille. Hiemali, vernoque tempore tercentum numerantur habitatores sive ex Incolis, sive ex militibus præsidiariis, sive ex nautis, & agrorum cultoribus, sive ex pastoribus. Isti habitant mappalia per agrum sparsa, & adveniente æstate reliqunt stationem. Una tamen est in Castro Parrochialis Ecclesia, unusque Parochus, qui a Duce Odescalchi tamquam Patrono nominatur, ab eoque stipendium recipit. Cum anno 1801. Emus, & Rmus Cardinalis Antonelli tunc Portuensis Episcopus Diæcesim lustraret, in Actis S. Visitationis adnotavit = *alium Sacerdotem Cappellanum extitisse retroactis annis in Castro Pali, qui singulis diebus festivis pergebat ad EcclesiamS. Mariæ alli Monteroni ibi Missam celebraturus. At præteritorum temporum infelicitate Ecclesia illa Sacris agendis modo impar est, unde nec Cappellanus adest amplius in Castro Pali, nec tamen Parochus sufficiens esse videtur, ac proinde agetur cum Eccmo Patrono de Cappellano rursus eligendo*. Res tamen cum Duce Odescalchio componi non potuit, & reclamante Emo, & Rmo Cardinali Valenti qui nunc Ecclesiam Portuensem regit, ad vestrum judicium defertur in contraditione partium.

I. Dubium respicit deputationem Cappellani Curati in Eccle-

clesia Parrochiali Castri Pali, qui Parochum coadiuvet. Necessarium porro esse dicit Emus Episcopus coadiutorem dare Parecho, sive quod ipse unus non possit adesse Parrochianis per agrum dispersis, sive quod si ipse infirmatur, nemo alius est Sacerdos, qui ejus vices suppleat, sive quod pastores ovium non possunt diebus festis una simul eadem hora in Ecclesia convenire, cum pars eorum ad custodiam gregis manere debeat. Constat porro ex observantia quod in Ecclesia Castri Pali adfuit Cappellanus. qui assidue coadiuvabat Parochum, & a Patrono stipendium recipiebat. De quo quidem deponunt plures testes, & constat ex actis S. Visitationis saltem ab anno 1766. ad annum 1798. semper Cappellanos coadiutores ad fuisse.

Ex jure porro esse contendit Episcopus, ut Patronus Ecclesiæ, qualis est Dux Odescalchius curet stipendium pro hoc Cappellano, cujus opera omnino necessaria est. Etenim ex Tridentino *Sess.* 21. *Cap.* 4. *de Reform.* expresse cavetur, quod ubi = *Populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragando, cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adiungere quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.* Quamquam vero hoc loci agat Tridentinum de casu, quo *Populus numerosus sit*: attamen contendit Eminendissimus Episcopus, quod ad omnes casus transferri possit ejus Sanctio, in quibus *unus Pastor non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo*. Quare si non ob numerum Populi, certe quidem ob locorum distantiam in agro Castri Pali solus Parochus omnibus adesse non potest. Quod si *in Cap. ad Audientiam* 3. *de Eccles. ædifican.* prescribit Pontifex Alexander III. ut Parrochiales dismembrentur, & nova Ecclesia constituatur quando Parrochiani non *sine magna difficultate* Ecclesiam adire possunt; multo magis erit constituendus Cappellanus Curatus, qui Parochum aduivet. Stipendium vero hujus Cappellani a Patrono solvendum esse contendit Eminentissimus Episcopus; Nam Parochus angustam habet congruam scutorum septem in singulos menses, ut hanc expensam facere non possit, proptereaque tenetur Patronus quemad-

modum ipse ex jure tenetur collapsam Ecclesiam reficere ex Decreto Tridentini *Sess.* 21. *Cap.* 7. *de Reform.*

Quatenus hæc deputatio Cappellani EE. VV. non arrideat, tum in II. Dubio quæritur num saltem sit locus deputationi Præsbiteri pro celebratione secundæ Missæ diebus festis in Ecclesia Parrochiali, vel in altera dei Monteroni. Sane *ex Cap. XIII. Constit. Synodal.* Diœcesis Portuens habetur = *ut in Ecclesiis Parrochialibus duæ saltem Missæ distinctis horis diebus festis celebrentur, ut in Ecclesiis ruralibus, in quibus usus, atque etiam obligatio celebrandi Missam prædictis diebus obsolevit, restituatur*. Atque in Appendice legitur = *Si ripristinerà la Messa nella Chiesa dei Monteroni, finche sia proveduta novamente di Cappellano la Chiesa Parrochiale di Palo dell' Eccma Casa Odescalchi*. Ex his atque ex observantia obligatum esse Ducem Odoscalchi contendit Episcopus, ut prestet celebrationem secundæ Missæ quæ omnino necessaria est.

Hæc quoad utrumque Dubium habet Eminentissimus Episcopus in sua *Allegatione*. Dum Folium sub prælo erat exhibita mihi est *Allegatio* pro parte Ducis Odescalchi. Repellit a se onus deputandi Cappellanum Coadiutorem, quem sibi assumere debet Parochus, quando habet congruam sufficientem, ut in casu Parochus *Castri Pali* habet scuta 196. Quoad alterum Dubium super celebratione Missæ se refert Defensor ad ea, quæ deduxit in præcedenti causa.

Gemina proponuntur Dubia.

I. *An sit locus deputationi Cappellani Curati in adjutorium Parochi pro cura animarum in casu &c.*

Et quatenus *Negative*.

II. *An, & quomodo sit locus deputationi Præsbiteri pro celebratione secundæ Missæ diebus festis de precepto in Ecclesia Parrochiali vel in altera dei Monteroni in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Dilata, & coadjuventur probationes super necessitate Secundæ Missæ.

MON-

MONTIS ALTI CAPPELLANIARUM. Non recens est disputatio, sed perdiu acta in hac S. Congregatione de jure patronatus trium Cappellaniarum laicalium, quarum prima a Magdalena Carlini, reliquæ vero a Joanne Baptista Carlini ejus nepote institutæ fuere, de quo patronatu certant inter se hinc Alexander Galosi, illinc Joannes Petrus, ejusque Filii Joannes Andreas, & Petrus Paulus Siliquini. Nam in Congregatione diei 16. Februarii 1805. (in cujus *Folio* habent EE. PP. hujus causæ historiam) tria proposita fuere Dubia I. *An jus nominandi Cappellanum ad Cappellaniam institutam a Magdalena Carlini competat Alexandro Galosi, seu potius Joanni Petro, & Joanni Andreæ, & Petro Paulo Siquilini*. II. *An jus nominandi Cappellanum ad Cappellaniam institutam a Joanne Baptista Carlini pro celebratione Missæ die Veneris in Ecclesia S. Mariæ del Borgo competat Alexandro Galosi, seu potius Joanni Andreæ, & Petro Paulo Siquilini*. III. *An, & quomodo sit locus suspensioni nominationis in casu &c.*, & Responsum prodiit *Ad I. Affirmative juxta modum nempe pro tribus unciis Alexandro Galosi, in reliquis Siquilinis pro virili. Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad III. Affirmative ad decennium quoad Cappellaniam tantum institutam a Joanne Baptista pro die lunæ adimpletis oneribus*. Provocante Galosio iterum disceptata fuit Causa *die* 2. *Maii* 1807. sub Dubio *An sit standum vel recedendum a Decisis*, rescriptumque fuit = *Ad I.* & *II. recedendum a Decisis, & juspatronatus competere Alexandro Galosi. Ad III. In Decisis etiam quoad reliquas Cappellanias*.

*Sess.* 21. *Cap.* 7. *De Reform*

Ab hac postrema deliberatione reclamant sucumbentes Siliquini, eorumque Defensor aliter multo causam tractat, ac in præteritis actionibus perorata fuit. Semper enim antea disputatum fuit, utrum patronatus utriusque Cappellaniæ esset *gentilitius*, *an hæreditarius*. Si primum: Siliquini erant participes juris nominandi, cum utrique fundatori, consanguinitate conjuncti sint, quemadmodum statuit *prima Resolutio*. Si alterum: Tum Galosius integrum patronatum sibi vindicat, cum ipsæ hæres sit bonorum a Fundatoribus provenientium, ceu cavit *postrema Resolutio*. At nunc Si-

Siliquiniorum Defensor contendit quod patronatus sit *mixtus*, scilicet quod simul requirat qualitatem *gentilitiam*, & *hæreditariam*, & hæredes extraneos prorsus repellit. Quamquam vero in hoc patronatus genere omnino requiratur *gentilitas*, & hæreditaria qualitas satis sit in *potentia* ad tradita *per Rot. cor. Falcon de jurpatron Decis* 45. *num.* 12., & *in Imolen Jurispatronatus* 20. *Junii* 1777. §. 4. *cor. Flangini*. attamen demonstrat ex arbore genealogico, Siliquinios esse in linea *Collaterali* quoad Magdalenam Carlini, & in linea *descendetali* Joannis Baptistæ Carlini, atque hæredes quoque bonorum esse contendit pro ea quota, quæ obtigit Carolo Anacleto, quæque ex latere materno ad Siliquiquinios delata est.

Hiscè præmissis probare studet Siquiliniorum defensor qualitatem *mixam* jurisgatronatus a Magdalena Carlini instituti ex propria significatione verborum, atque ex conjecturis voluntatis. Reliquit enim juspatronatum *alli suoi Eredi, e loro Successori in infinito ed in perpetuo*, quæ verba *Eredi e Successori* ubi copulata sint cum pronomine *suoi* = *loro* = faciunt vi sua juspatronatus *mixtum*, in quo succedunt ii, qui sunt simul hæredes sanguinis, & bonorum, ut docet *Piton de controv. patron Allegat.* 69. *num.* 10. *Rota cor. Molines Decis.* 701. *num.* 4. *in Alexanen. Beneficii* 11. *Decembris* 1711. §. 12. *cor. Aldovrando in Aquilana Jurispatronatus* 3. *Maii* 1763. §. 4. *cor. Verì*. Neque sibi obesse putat authoritates in præteritis propositionibus allatis a Galosio, in quibus ædem dictiones translatæ sunt ad indicandum patronatum hæreditarium. Id enim factum esse dicit non ex propria significatione verborum, sed ex conjecturis voluntatis, quæ suadebant ut a proprietate verborum esset recedendum, ut *in Senogallien Jurispatronatus* 19. *Januarii* 1761. *cor. Ratta*, & 26. *Aprilis* 1762. *cor. Frangipane*. Contra vero in re præsenti conjecturæ voluntatis demonstrant Testatricem de hæredibus Sanguinis, & bonorum intellexisse.

Conjecturæ vero sunt hujusmodi: Patronatus relictus fuit a Magdalena Carlini *alli suoi Eredi, e loro Successori in infinito*. Hæc sane verba, quæ superflua essent si de hæredibus extraneis actum fuisset, ita ostendunt Testatricem de hæredibus Sanguinis intellexisse ceu docent

*Piton*

*Piton de Controv. Patron Alleg.* 37. *num.* 15. *Rota cor. Ubald. Decis.* 127. *num.* 9. *cor. Kaunitz Decis.* 140 *n.*8. *cor. Falcon de jurepatron. Decis.* 45. *num.* 3. *in Majoricen Beneficii* 27. *Januarii* 1747. §. 3. *cor. Bussio* Deinde cum patronatus ab ipsa Testatrice reservatus sit Nepotibus suis, qui erant de sanguine, ita præsumendum est quod sub nomine successorum vocati sint hæredes sanguinis, non vero extranei ut arguit *Rota cor. Cerro Decis.* 313. *num.* 6. & *cor. Falcon. Decis.* 45. *num.* 7. *de jurepatron.* Tandem Magdalena curam celebrationis Missarum imposuit non Cappellanis, sed ipsis Patronis. Ex hoc vero coniici potest, ut si tantam in hæredibus fiduciam habuit, potius de suis consanguineis, quam extraneis intellexerit.

Si ex his probatum est, patronatum esse mixtum; tum Siliquinorum Defensor concludit nihil in re presenti facere præsumptionem juris, unde in dubio patronatus pro hæreditario habetur. Nam præsumptio cessat quando ex fundationis verbis, & ex voluntate fundatricis patronatus mixtæ qualitatis detegatur, ut observat *Rota cor. Falcon. Dec.* 45. *n.* 10. *De jurepatron.* Nec etiam quidquam metuit a contraria objecta obserstantia. Nam hæc probatur ex testatione Notarii, qui affirmat se vidisse præsentationes a Pomelia factas, quæ servantur in privato tabulario Alexndri Galosi. Quare negat quod in facto probata non sit hæc observantia, nec in jure quidquam noceret. Nam cum *præsentare* sit actus facultativus, negligentia patronorum in præsentando nihil officit patronis, & unius præsentatio conservat possessionem alterius ex traditis *a Piton de contr. Patron. Allegat.* 66. *num.* 30. *Rota cor. Falcon. de Jurepatron. Decis.* 11. *num.* 6. Maxime cum nunc non agatur inter præsentatos, ita ut controversia ad tramites possessionis sit decidenda, sed agitur inter Patronos, ideoque ex fundatione, & ex jure controversia decidenda est. Postremo loco agit Siliquiniorum Defensor de renunciatione facta a Judith Galosi, cum nupta fuerit Michaeli Angelo Siliquini. In hac enim renunciatione specialis mentio de jure patronatu facta non est, & ex jure est, ut sub generali renunciatione non veniant ea, quæ specialem, & individuam mentionem requirunt *Rota cor. Crispo Decis.* 268 *num.* 8. *In Albanen Prioratus super pertinentia patro-*

*nal-*

*nali* 14. *Januarii* 1752. §. 9. *cor. de Vais* Deinde hæc renunciatio, quatenus patronatum compleeteretur, nullum præjudicium afferret Successoribus, qui etiam in jure patronatu mixto veniunt ex persona propria, cum sint a Fundatrice vocati ad tradita per *Fargna de jurepatron. patt.* 2. *Can.* 16. *Cas.* 2. *num.* 6. *Rota in Albanen. Prioratus super pertinentia Patronali* 14. *Januarii* 1752. §. 19. *cor. De Vais*.

Post hæc Siliquinorum Defensor, cum se demonstrasse putet patronatum a Magdalena Carlini relictum esse *mixtum*, ostendit, quod in patronatu hujusmodi successio defertur non in *capita*, sed in *stirpes*, in tantum, ut tot computari debeant voces, quot inveniantur stirpes, ut docet *Rota in Nuperrim. Decic.* 221. *num.* 15. *Tom.* 9. & *in Alexanen. Beneficii* 11. *Decembris* 1711. §. 7. *cor. Aldovrando*. Cum vero ex Joanne Baptista primo instituto geminæ prodierint stirpes, patronatum in duas voces divisum fuisse constat, unam, quæ pervenit ad Pomeliam, alteram ad Mariam Elisabeth. Hæc que pervenit ad Elisabeth, integra pertinet ad Joannem Andream, & Petrum Paulum Siliquini. Illa quæ obtigit Pomeliæ divisa est inter Alexandrum Galosi, & Judith ejus Sororem, ex qua Joannes Petrus Siliquini descendit. Quatenus hæc probentur EE. PP. tum addicendum esset jurispatronatus pro tribus unciis Alexandro Galosi, pro aliis tribns unciis Joanni Petro Siliquini, & pro semisse Joanni Andreæ, & Petro Paulo Siliquini.

Quoad patronatum Cappellaniæ a Joanne Baptista institutæ pro celebratione Missæ die Veneris, æque, & iisdem argumentis contendit Siliquiniorum Defensor, quod sit *mixtum*. Nam illud reliquit nepoti suo ex prædefuncta Filia Elisabeth Anacleto Recchi *in perpetuo, e dopo lui ai suoi Eredi, e Successori, ed a quelli, o quello, che a lui parerà, e piacerà*. Quare cum Joannes Andreas & Petrus Paulus Siliquini ab Anacleto Recchi recta linea descendant, patronatum hujusmodi sibi vindicant Porro ostendit quod juspatronatus Anacletus Recchi cedere non poterat Pomeliæ, quia ejus successores vocantur ex persona propria. Arbitrium porro quod Fundator dedlt Anacleto, ut patronatum addiceret *a quelli, o quello, che a lui parerà, e piacerà* ultra vagari non posse contendit extra genus vocatorum. Aliter enim admit-

mittenda esset instantanea correctio voluntatis in ipso Fundatore, qui cum geminas Cappellanias instituisset & alterius patronatum Pomeliæ reliquisset, alterius Anacleto Recchi,& respective substituisset eorum hæredes sanguinis, postea statim mutata voluntate permisisset Anacleto, ut contemplatis hæredibus posset patronatum auferre, & cedere Pomeliæ,quæ jam altero patronatu fruebatur.

Hæc habet Siliquinorum Defensor, quæ si vobis EE. PP. probata erunt, tum suspensio nominationis cohibenda erit ad unam tantum Cappellaniam a Joanne Baptista Carlini pro die Lunæ institutæ. Galosius nihil mihi exhibuit.

Proponitur Dubium.

*An sit standum in primo, vel secundo loco Decisis in casu &c.*

Dilata.

ROMANA PRÆLATIONIS. Ad Paræciam Divi Thomæ in Parione spectat apothecam cum superioribus mansionibus, & annexis positam in via *Cursus*, quam ad usum Cauponæ die 3. Julii anno 1804. ad triennium a moderno Parocho conduxit BartholomeusBorgnani pro annua pensione scutorum 36. Decurrente hac locatione censuit Parochus Domum vendere, eamque per publica ædicta proscripsit, ut accerserentur oblatores. Duo accesserunt licitatores Dominicus Ciampi, qui propriam domum habet conjunctam cum hac domuncula vendenda obtulit pro ineunda Emphiteusi nomine canonis annua scuta 36. 50., & pro emptione domus in causam pretii scuta 505. Alter oblator fuit ipse Inquilinus Borgnani, qui pro canone scuta 36., pro pretio scuta 511. spondidit= *riserbando mi anche come inquilino il dritto in caso di maggior offerta di qualunque altro di poter accrescere l'offerta* = Cum ad Sac. hanc Congregationem porrectæ fuissent preces pro obtinendo Beneplacito,data est domus

*Sess.24. cap.6. de Reform.*

in Emphiteusim ad tertiam generationem masculinam Dominico Ciampi tamquam majori oblatori. Postulavit tum Borgnanus prælationem cor. R.P.D. Locumtenente Emi Vicarii, contra vero Ciampus egit pro circumscriptione actorum, sed *R.* P. D. Auditor SSmi controversiam hanc super prælatione delegavit ad hancSac.Congregationem.

PostulatBorgnanus prælationem quæ inquilinis concessa fuit ex *Decreto Camerali*. Scire prestat quod extabat olim hoc Decretum quo non poterat *curialis inquilinus* eiici ex domo conducta, nisi dominus eam habitare vellet, vel eam vendidisset. Hoc Decretum anno 1510. confirmavit Pontifex Julius II., & præterea concessit Inquilinis privilegium, ne Domini possent domos in locationem ad longissimum tempus etiam ad tertiam generationem, nisi prius nunciassent inquilinis num præferri vellent, quod privilegium anno 1513. confirmavit S. M. Leo X. Ex hoc itaque Decreto & Constitutione postulat Borgnanus prælationem. Negat tamen Ciampius quod hoc privilegio uti possit Borgnanus primum quia revocatum fuit a Pio V. in *Motu proprio* edito die 20. Aprilis 1571., cujus initium = *Ad hoc nos Deus*, ut tradit *Constantin. ad Statut. Urb. annot.*24. *artic.*5. *num.*305. *Rota coram Penia decis.*88.*n.*1. Deinde quod licet hoc privilegium subsisteret concessum fuit non omnibus indiscriminatim inquilinis, sed inquilinis Curialibus. Tertio quia ipse Ciampus, est vicinus, & sicuti ex Gregoriana Constitutione posset cogere dominum vicinæ domus ad retractum coactivum, ita vincit inquilinum quoad prælationem ut docet *Constantin. ad Statut. Urb. annot.*24. *artic.*5. *num.*352. Tandem quia in ipsis locationis tabulis renunciavit juri inquilinatus, & dum ipse accessit inter oblatores renunciavit etiam prælationi.

Respondet ad hæc Borgnani Defensor,quod Gregorius XIII. in sua *Constitutione* vulgata die 14. Octobris 1574., quæ incipit. *Quæ publica utilia* revocato *Motu proprio* Pauli V. confirmavit Decretum Camerale, & Constitutiones Julii II., & Leonis X. Quare negat quod privilegia Inquilinorum profluentia ex Decreto Camerali sint abrogata ut docet *Fenzonius ad Statut. Urb. pag.*705. *Ridolphin. in prax. part.*2. *cap.*13. *num.*54. *Pacion. de locat., & conduct. cap.*42. *num.* 62. *Card. de Luc. de locat.*

*di-*

*disc ırs.*34. *num.*11. Hinc distinguit duo privilegia, quæ ex hoc Decreto Inquilinis fuerunt concessa, alterum quod proprie dicitur jus *inquilinatus*, ne domibus conductis expelli possint, atque hoc concessum fuit curialibus inquilinis. Alterum vero privilegium prælationis indiscriminatim omnibus inquilinis concessum fuit, atque ita concessum in Constitutione Gregoriana, ut hoc privilegium non vincant vicini, nisi in casu, quo ædificare promittant. Negat porro Borgnanus quod in tabulis locationis renunciatum sit *prælationi*, sed ad summum quod, dum ipse prom sit finità locatione Apothecam restituere, facta videatur renunciatio *juri inquilinatus*, quod diversum est a *privilegio prælationis*. Hoc vero se non amisisse contenditBorgnanus, si ad Emphiteusim & ipse licitavit, cum in oblatione sibi cautum voluit *come inquilino il dritto in caso di maggior offerta di qualunque altro di poter accrescer l'offerta*.

Proponitur Dubium.

*An, & quomodo sit locus prælationi in casu &c.*

Negative & amplius, & ad Mentem.

*Sess.24. cap.6. de Reform.*

URBEVETANA SUSPENSIONIS. Inter Præbendas Canonicales Cathedralis Urbevetanæ duo sunt ex fundatione Rutilii de Laurentii. Qui has præbendus tenent præstare debent servitium Chori, quamadmodum faciunt cæteri Canonici *de Massa*, & præterea celebrare debent singuli Missam alternativam, sive annuas 182. ad altare SSmi Corporalis, & Missas *Sex* cum *Anniversario* in die obitus fundatoris, nec non missas hebdomadales per turnum ut cæteri Canonici, ac tandem conferre pecunias pro communibus expensis Capituli, & vectigalia pensitare. Præbendæ hujusmodi habent separatos redditus a Massa communi, qui tempore fundationis ad annua scuta *sexaginta* pertigebant, ac deinde multum decrevere. Consuetudine porro, & conniventе Capitulo usuvenit, ut dum alter ex hisce Canonicatibus

bus vacaret, qui alterum possidebat Canonicatum Vacantis illius fructus perciperet, & oneribus satisfaceret. Cum unum Canonicatum possideret Laurentius Corsieri *anno* 1802. ab Emo Brancadoro tunc Episcopo Urbevetano deprecatus est reductionem Missarum *ad nonaginta tantum Missas lectas ultra unam Cantatam*. Vacante porro anno 1806. altero Canonicatu, Capitulum Cathedralis, quod ex fundatione patronatu fruitur, a moderno Episcopo exoratus est reductionem *ad tramites indulti san. mem. Benedicti XIII.*

Nihilominus cum fructus hujus vacantis Canonicatus ad annua scuta 36. 62. ½ pertigentes impares sint oneribus pro quibus comprehensa Missarum eleemosina requiruntur annua scuta 43. 74., postulat Capitulum, ut suspendatur collatio Canonicatus, atque etiam onera Missarum quoad ex fructibus in investimentum erogandis coalescant saltem annua scuta *centum* inter utrumque Canonicatum dividenda. Rogatus Episcodus Administrator de sua sententia, respondit = *neminem essequi deficientiam redditus Beneficii supplere teneatur; redditus temporum calamitatibus esse valde imminutos, & nunc reduci tantum ad scuta triginta sex, & obolos sexaginta duo cum dimidio, annuas autem expensas esse scutorum quadraginta trium, & obolorum nonaginta quatuor, scilicet triginta pro Missarum eleemosinis, & tresdecim, & obolos nonaginta quatuor pro aliis oneribus, & idcirco redditibus superiores esse annuas expensas scutorum septem, & obolorum triginta unum. Quare nisi Cathedralis Ecclesia debeat perpetuo hoc Canonicatu carere (quod certe permittendum non est) censerem Capituli precibus esse annuendum.*

Pro præsenti statu Canonicatus certe onera superant redditus, vel saltem æquant. Quamquam enim diminuantur impensæ; certum tamen est, quud penitus absorbent reditus. Quare Canonicus nihil habet pro servitio chori; & impossibile erit invenire, qui ad illum Canonicatum optet. Ubi vero alius modus non invenitur, ut tenuitati præbendæ consulatur, sane ipsa necessitas suadet, ut suspendatur nominatio, quoad ex fructibus in multiplicum erogandis redditus augeantur. Sed necesse quoque est Missas Præbendæ infixas suspendere, ne aliter inutilis sit suspensio nominationis, cum eleemosina

pro

pro Missis omnes redditus absumat. Porro ipsa necessitas satis causæ est, ut Missæ suspendantur, & tenuitati Præbendæ hoc modo consulatur ut definivit S. Congregatio *in Cornetana Oneris Missarum* 8. *Maij* 1784. *in Camerinen. suspensionis Oneris Missarum* 12. *Martii* 1805. *& in Mathelicen. suspensionis Oneris Missarum* 24. *Novembris* 1787.

Veruntamen cum omnes reditus ad annua sc. 36. & ob. 62. ½ perveniant, hinc soluta Spoliorum taxa, aliisque expensis pro exactione, & pro aliqua Missa celebranda quolibet anno in suffragium Fundatorum, vix annua scuta triginta supererunt multiplicanda ad effectum novum efformandi Capitale, ex quo annuus scutorum centum reditus Canonico obveniat.

Opus hoc erit in annos plurimos protrahendum, quibus elapsis, optimum quidem erit Urbevetanæ Ecclesiæ alterum superaddere Canonicum, at de necessitate non satis liquet. Etenim si deficiente hoc Canonico Chori servitium detrimentum capiet, male provisum videbitur per tam diuturnam Præbendæ vacationem, potiusque præferendum erit, ut suspensa remaneat donec ex multiplico annua scuta triginta augeantur, quot in fundatione percipiebantur, quæque congruum constituent emolumentum pro Chori servitio. Quatenus autem defectus unius Canonici nullum inferat præjudicium Chorali servitio, aut onus Missarum juxta fundationem adimpleri poterit per Cappellanum, suppresso ob defectum redituum Canonicatu, aut adauctis parumper reditibus post brevem suspensionem uniri poterit hæc Præbenda cum altera Præbenda Laurenti, quæ etiam inopia laborat.

Vestrum itaque erit Emi DD. decernere ad quod tempus suspendenda erit nominatio ad vacantem Canonicalem Præbendam Laurenti, & quot Missæ interim sint celebrandæ, suspensis reliquis, ut ex multiplico superextantium redituum augeantur reditus, usque ad summam arbitrio vestro præfiniendam. Itemque sub vestra erit potestate vel reintegrationem Præbendæ post elapsum suspensionis tempus ex nunc demandare, vel diferte quoad Canonici nominationem sententiam donec adauctis redditibus, meliusque perpensis Capituli circumstantiis quid magis oportunum fuerit statuere valeatis.

Du-

Dubium proponitur.
*An, & quomodo, & ad quod tempus sit locus suspensioni nominationis in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess. 2. Cap. 5. de. Reform.*

EUGUBINA APPLICATIONIS. Procul ab Oppido Canthiani passibus quatuor millibus est Pagus *Claserna* in Appenninis positus, cujus habitatores sub cura olim erant Prioris S. Nicolaì Canthiani. Anno 1660. Episcopus Eugubinus Sperelli cum in S. Visitatione novisset quod hyemis præsertim tempore difficile est iter ad Pagum, proprium Sacerdotem in *Claserna* constituit Priori S. Nicolai subjectum, eique stipendium constituit scutòrum 40., quorum *viginti* percipiebat a Sodalitio S. Michaelis Arcangeli in Ecclesia S. Anastasiæ ejusd. Pagi erecto, alia sc. *viginti* a familiis, quæ pagum incolebant. Tenue sane stipendium, quod huic Cappellano rependitur, causa est, cur in vacaationibus nec tam facile Cappellanus inveniatur, nec inventus permanere velit. Ita sane fit, ut modernus Cappellanus, qui idoneus est, & Populo acceptus necessitate ductus velit curam *Clasernæ* derelinquere. Ut ejus stipendium angeatur, cum alia deficiant media, postulat Prior S. Nicolai. ut applicetur in hanc causam Hæreditas Sacerdotis Augustini Minelli. Hic qui Cappellanus fuit in Pago *Claserna* in postremis testamenti tabulis anni 1775. = *volendo per l' amore, ed affetto, che ho sempre portato a miei diletti Parrocchiani, ed a questa mia Chiesa Sposa di S. Anastasia rimomostrare un contrasegno di più devozione, ed a gloria di Dio* = instituit Hæredem usufructuariam Virginiam neptem suam cum onere celebrationis Missarum singulis mensibus prima die Dominico, ita ut Cappellanus, qui esset celebraturus sacramentales quoque confessiones exciperet, eique singulis vicibus daretur stipendium ob. 25. Quod si Sebastianus quidam Benedetti ex suis bonis Cappellaniam erigeret, tum jussit Testator Minelli, ut bona sua hæreditaria cum illis Sebastiani pro fundo Cappellaniæ unirentur. Quod si a Sebastiano Cappellania non erigeretur

tur tum instituit hæredem proprietarium Sodalitium S. Michaelis Arcangeli cum onere celebrationis triginta Missarum compræhensis illis celebrandis diebus Dominicis.

A septem annis occubuit Virginia hæres usufructuaria, quæ tamen paupertate laborans numquam impositam celebrationem præstavit. Neque Sebastianus Benedetti Cappellaniam erexit, ut propterea bona hujusmodi nunc pertineant Sodalitio, qui petitæ a Priori S. Nicolai applicationi assensum præbet. Episcopus de sua sententia rogatus refert = *constare de congruæ insufficientia, de non obligatione alicujus ad supplementum, de impotentia Sodalitii, & incolarum ad ulterius supplementum, cum egestate præmantur omnes, & illud Capitalia perdidit Censuum; non aliam suppetere viam, quam indigitatam a Priore supplicante, unionis videlicet, & incorporationis piæ hæreditatis Sacerdotis Augustini Minelli. Ex ejus particula testamentaria constat pium Sacerdotem in sua dispositione pro fine habuisse Dei Gloriam, Ecclesiæ amorem, zelum animarum. Jam vero finis hic etiam in derogatione subsisteret, quin immo amplificaretur. Status activus, & passivus hæreditatis ostendit agi de paupere Regno. Non enim annua scuta duodecim excedit hæreditas ista detractis oneribus. Ex ea Claser nensis Vice Parochus retrahet complementum Pianæ Congruæ scutorum quinquaginta duo.*

Cum insufficiens sit stipendium Cappellani Curati, qui est in Pago *Claserna*, nec alio modo ejus paupertati consuli possit, inquirendum erit, num in hanc causam applicanda sit *hæreditas Minelli*. Sane ex Tridentino *Sess.* 21. *Cap.* 3. *de Reform.* ad sublevandam inopiam Paræciarum fieri potest unio beneficiorum. Quamquam hic proprie de beneficio non agatur, sed de Legato Pio; attamen S. Congregatio Paræciarum tenuitati consuluit etiam per applicationem Legati Pii, ut in *Cortonen. Applicationis* 15. *Februarii* 1791., *in Pisauren. Applicationis Hæreditatis* 23. *Julii* 1803. & *in Asculana Paræciæ* 25. *Maii* 1805.. Præcipue cum in casu non repugnare videatur Testatoris præsumpta voluntas, qui legatum pium fecit *per l' amore, ed affetto che ho sempre portato ai miei diletti Parrochiani, ed a questa mia Chiesa Sposa di S. Ana-*

*sta-*

*stasia rimostrare un contrasegno di più devozione, ed a gloria di Dio*. Quare non prætergre ditur finis ab ipso sibi propositus, si erogetur ejus hær editas in stipendium Cappellani Curati. Neque ejus expressa voluntas derogatur, cum Missas *triginta*, qu æ celebranda reliqu t,a Parocho impleri poterunt.

Dubium proponitur.

*At, & quomodo sit locus applicationi in casu &c.*

*Die Sabbathi 7. Maii 1808. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

URBEVETANA SUSPENSIONIS

*Sess.24. cap.6. de Reform.*

*An, & quomodo, & ad quod tempus sit locus suspensioni nominationis in casu &c.*

Affirmative usque dum ex annuis fructibus in multiplicum erogandis augeantur annui redditus ad alia scuta 30. celebrata interim unica Missa quolibet mense, & suspensis reliquis oneribus etiam Capitulo contribuendis docto quotannis.

EUGUBINA APPLICATIONIS

*Sess.21. cap.5. de Reform.*

*An, & quomodo sit locus applicationi in casu &c.*

Affirmative impletis oneribus per Cappellanum.

*Sess.21. cap.7. de Reform.*

MONTIS ALTI CAPPELLANIARUM. In postrema Congregatione prorogata est hujus Causæ cognitio, quia utrinque litigantes consenserunt dilationi, ut controversiam componerent. Nunc vero remota spe transactionis Siliquinii insteterunt, ut iterum causa proponeretur. Dignentur itaque EE. PP. reassumpto præteritæ

L Con-

Congregationis *Folio*, & Allegationibus hinc inde distributis deliberare.

*An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.*

In secundo loco Decisis, & amplius.

*Sess. 14. cap. 6. de Reform.*

FIRMANA NULLITATIS EMPHYTEUSIS. Gemina Ecclesiastica Beneficia alterum in Colleggiata Ecclesia Oppidi Montis Octonum, alterum in rurali ejusdem Oppidi Ecclesia Divi Laurentii erectum, possidebat Clericus Joseph Guiducci, & novem fundos rusticos ad utrumque beneficium pertinentes cum adnexo jure decimandi conductos retinebat Guidus Stephanus Pelagallo. Hic anno 1793. egit cum Advocato Aloysio Guiducci Clerici Josephi parente (nam Joseph imbecillitate mentis laborans res suas procurare non poterat) ut perpetuam fundorum, & juris decimandi Emphitheusim iniret annuo convento canone scutor. 50.. Sed Sacra hæc Congregatio, cui oblatæ fuere preces pro obtinenda venia Apostolica, emphitheusim ad tertiam generationem cohibuit, & Edicta publicari jussit, ut oblatores accerserentur. Inter plures oblatores melior fuit ipse Guidus Pelagallo, qui Canonem in scutis 57. 75. se representaturum spondidit, ea tamen conditione *di levare li legnami non necessarj per investire il ritratto a favore del Beneficio, e l' utile de' frutti a favore dell' Emphiteuta*. Quare Beneplacitum obtinuit anno 1795. ex Litteris Apostolicis in forma commissaria Archiepiscopo Firmano directis. Exequtionem decrevit Archiepiscopus Firmanus die 7. *Novembris* 1795. salvo *jure vigesimæ, & sextæ*, quin tamen constet, quod investigaverit, num hæc Emphitheusis utilis foret Beneficiis.

Antequam tamen Instrumenti tabulæ scriberentur Fratres Nicolaus, & Leopoldus Ricci subscripto die 16. Decembris Chirographo mandati procuræ deputarunt Procurato-

ratorem Causidicum Firmanum Philippum Jacobetti, ut eorum nomine loco sextæ scuta *viginti duo* offerret, quam sextam Procurator deputatus offerre distulit ad diem 7. *Februarii anni* 1796. Ita decernente Curia Archiepiscopali Firmana Guidus Pelagalli acceptavit hanc sextam *prout*, *&* *quatenus de jure* & postea reclamavit ad hanc Sac. Congregationem, ut rejiceretur hæc sextæ oblatio tamquam data a Fratribus Ricci *re non amplius integra*, sed rejecta fuit hæc instantia ex Rescripto diei 19. Junii 1797. *Utatur jure suo prout*, *&* *quatenus de jure ad formam Motus proprii Benedicti XIV. cor. Archiepiscopo in prima instantia*. Hinc venit in Curia Ecclesiastica Firmana Marcus Antonius Frater Clerici Josephi Guiducci, & hujus, defuncto parente, administrator, qui deputavit in Procuratorem illum ipsum Philippum Jacobetti Causidicum Fratruum Ricci, qui sextam eorum nomine obtulit, atque ipsemet pro Guiduccio institit, & per Decretum Curiæ Ecclesiasticæ obtinuit, ut sexta prorsus reiiceretur, & stipularetur pro Pelagallo Instrumentum, quod tamen numquam stipulatum fuit.

Ita se res habuit antequam supervenirent publica rerum discrimina. Postea vero Marcus Antonius Guiducci, & Guidus Pelagallo convenerunt, ut Emphitheusis ad tertiam generationem converteretur in perpetuam, & transitoriam ad quoscumque hæredes extraneos aucto Canone ad scuta *sexaginta*. Hinc Guiduccius ab hac Sac. Congregatione declinans preces dedit anno 1803. Sac. Congregationi super negociis Episcoporum, & Regularium propositæ, narravit initum contractum, reticuitque ea, quæ in hac Sac. Congregatione, & in Curia Archiepiscopali Firmana gesta fuere, atque prætexens controversias ortas cum Emphitheuta Pelagallo super qualitate pecuniæ, in qua solvendum erat Canon, postulavit, ut ad eas præcidendas indulgeretur venia qua Emphitheusis perpetua perfici liceret. Preces hujusmodi sub die 1. Aprilis 1803. delegatæ fuerunt Ordinario Firmano *pro Informatione*, atque etiam in positione reperta fuit Epistola ex Officio R. P. D. Secretarii illius Sac. Congregationis. Sed in ea *minuta* adnotatum legitur = *questa lettera non ebbe corso* =, & sub ipsa die 1. Aprilis 1803. aliud prodiit Rescriptum ex Audientia SSmi = *SSmus benigne annuit juxta petita arbitrio*

 *Vi-*

*Vicarii Capitularis cum solitis clausulis per Bullas*, & loco Bullarum impetravit GuidusPelagallo expeditionem per Breve ex altero Rescripto diei 13. *Maii* 1803. cujus exequtionem decrevit Vicarius Capitularis. Interea occubuit Clericus Joseph Guiducci Beneficiatus, atque Guido Pelagallo obtinuit ab R. P. D. Thesaurario, ut a Subcollectore spoliorum Instrumentum perpetuæ Emphitheusis die 9. Decembris 1803. stipularetur.

Hæc vacantia beneficia a Summo Pontifice collata fuere Præsuli ab intimo cubiculo Sebastiano Calderini de Vespignanis, qui ut cognovit quomodo sese habuerit concessio Emphitheusis facta Pelagallo, reclamavit ad Summum Pontificem nullitatem, qui preces remisit *ad hanc Sac. Congregationem prævia aperitione Oris cum omnibus facultatibus necessariis & opportunis*. Hisce de more ablegatis Precibus ad Emum Archiepiscopum, ex ejusdem Informatione patet, quod ipse deputavit Peritum ex officio, qui refert, habito etiam respectu ad calculum *decennalem*, fructus Beneficiorum detractis oneribus attingere *scuta argentea* 113.*& obolos septem*, valorem vero bonorum *argentea scuta* 2525. *& obolos* 69. & quidem sive respiciatur tempus primæ concessionis ad tertiam generationem, sive alterius perpetuæ Emphiteusis. Prosequitur porro Emus Archiepiscopus in sua Informatione. *Addendus insuper esset redditus, qui habitus fuisset ex pretio arborum cæsorum per Emphitheutam in conspicua quantitate, quæ in Peritia clare describitur* (& liquidatur in scutis 325.) *& notandum, quod in similibus cæsionibus Pelagallus adhuc perseverat prout relatum mihi fuit a Vicario Foraneo ipsius Oppidi. Si itaque hujusmodi lignorum pretium prout opus fuisset investiretur, certe equidem redditus in duplum annuum Canonem excederent, qui nunc ab Emphitheuta persolvitur. Unde mihi videtur recte possessorem Beneficiorum conqueri de nullitate contractus.*

Præsul Calderini in *scriptis* mihi exhibitis demonstrare studet utrumque contractum in *forma & substantia* nullitate laborare. Primus contractus concessionis ad tertiam generationem peccat in *forma*, quia litteræ Apostolicæ expeditæ fuerunt in *forma commissaria*, quatenus scilicet Exequtori constitisset de *evidenti utilitate*. Quare cum non pateat Exequtorem hanc investigationem fecisse, deficit contractus contra Constitutionem

nem Pauli II. *Cum in omnibus*, in qua hoc examen pro forma prescribitur. Itidem deficit in forma, quia rejecta fuit sextæ oblatio, & quidem non sine dolo Procuratoris, qui pro Riccis *Sextariis*, & pro Guiduccio comparebat. Secundus vero contractus Emphitheutis perpetuæ caret prorsus Beneplacito, cum illud subreptitie extortum fuerit a Sac. Congregatione super negociis Episcoporum, & Regularium proposita, reticita ea facti circumstantia, quod scilicet jam Sac. Congregatio Concilii manus apposuisset, proptereaque ex Decreto Innocentii *XII*. anni 1692. non licebat ab ea declinare sub pæna nullitatis.

Præterea Presul Calderini agit de læsione utriusque contractus, unde in substantia inficitur Emphiteusis. Nam ex relatione Periti ex officio deputati constat fructus beneficii pertingere ad annua scuta 113. Addendum est porro pretium retractum ex cæsis Lignaminibus in summa scutorum 325., quod pretium si fuisset in investimentum erogatum majores fructus dedisset. Quare sive canon scutorum 57. 75. in prima Emphiteusi conventus, sive scutorum 60. in secunda, justo inferior est, cum nec dimidio fructuum percipiendorum respondeat quando Canon Emphiteusis Ecclesiasticæ, ut Ecclesiæ utilis sit, fructus æquare debet ad tradita per *Rot. cor. Caprara decis.* 529. *num.* 7. *cor. Molines decis.* 1122. *num.*41. *in Nullius seu Asculana Emphyteusis* 1724. §. *Sic autem cor. Corio, & in Balneoregien. prætensæ Emphitheusis* 22. *Junii* 1778. §.3. *cor. Origo*.

Nihil mihi exhibuit Guidus Pelagallo. Quare proponitur Dubium.

*An constet de nullitate contractuum, itaut sit locus reintegrationi, & restitutioni fructuum in casu &c.*

Affirmative in omnibus.

NUL-

*Sess. 7. cap. 6. de Reform.*

NULLIUS S. MARTINI SUSPENSIONIS NOMINATIONIS. Reclamantibus Canonicis Colleggiatæ Oppidi S. Martini (quod feudum est inclitæ Gentis Pamphiliæ) se prorsus carere fructibus Præbendarum, quæ dotem habent in locis Montium, quatuor in Congregatione diei 8. Augusti 1801. proposita fuere dubia I. *An & cui incumbat onus providendi deficientiæ redditiium Canonicorum, & Ecclesiæ S. Martini usque ad reviviscentiam LL. Montium in casu &c.* Et quatenus *Negative in omnibus* II. *An, & quomodo sit locus suspensioni onerum in casu &c.* III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.* IV. *An, & quomodo sit providendum pro manutentione Parochi, durante suspensione Congruæ in casu &c.* Hæc dubia proposita fuerunt *ex officio*, cum Princeps ab Auria Collegiatæ Patronus licet interpellatus, & a Vicario Capitulari, & ab Emo Protectori (quorum super Canonicorum præcibus rogata sententia est) numquam interposuit in Secreteria *Nihil Transeat*, quemadmodum ex nostris institutis facere debent ii, qui oblatis precibus contradicere volunt. Itaque super illa Dubia sciscitati EE. PP. in Congregatione diei 12. sequentis Septembris responderunt Ad I. *Incumbere Patrono & ad hunc effectum subministranda ab eo esse scuta viginti singulis Canonicis, & annis, reducto servitio Chori ad dies festos de Præcepto, & ad omnia officia primæ Classis. Ad II. quoad servitium Chori provisum in primo, quoad onera Missarum teneri Capitulum ad applicationem Missæ Conventualis reliquis suspensis. Ad III. Affirmative. Ad IV. Teneri Patronum pro annuis scutis quinquaginta*, & ad Mentem: Mens est = *Patronum teneri per modum provisionis donec exigantur fructus LL. MM.; quibus etiam in parte perceptis, diminuendam esse pro rata provisoriam subministrationem.*

Numquam Resolutio Sac. Congregationis exequutioni commissa est, sed die 20. Januarii anni 1807. altera ex canonicalibus Præbendis vacavit. Ultra quadrimestre Patronis a jure concessum ad nominandum exoravit Princeps ab Auria ex Rescripto hujus Sac. Congregationis diei 2. Maii 1807. prorogationem *ad alios quatuor menses, & interim tempus, & tempora non currere*. Preces porro obtulit SSmo, ut impetraret suspensionem nominatio-

nis

nis hujus Canonicatus; atque alterius in posterum vacaturi, quorum redditus applicarentur in augumentum fructuum aliarum Præbendarum, simulque postulavit, ut sibi liceret sua jura deducere adversus Resolutionem hujus S. Congregationis *anni* 1801.. His precibus referente Emo Præfecto hujus S. Congregationis rescriptum fuit die 16. Junii 1807. = *Sanctissimus remisit Preces ad Sac. Congregationem Concilii cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis, & cum facultate etiam revidendi Resolutionem ejusdem Sac. Congregationis diei* 12. *Septembris* 1801.

Antequam tamen sua jura deduceret Princeps Patronus adversus illam Resolutionem, institit apud hanc Sacram Congregationem pro indefinita suspensione nominationis ad vacantem Canonicatum. Exquisita est Sententia Eminentissimi Protectoris Colleggiatæ S. Martini audito Capitulo, & interim concessa est prorogatio ad alios quatuor menses ad præsentandum ex Rescripto *diei* 22. *Augusti* 1807. Quæ prorogatio ex altero Rescripto diei 19. Decembris 1807. renovata est *ad alios quatuor menses absque spe ulterioris prorogationis*. Post hæc advenit Votum Eminentissimi Protectoris, qui affirmat *Canonicos capitulariter de more congregatos sese haud favorabiliter sensisse de suspensione nominationis Canonicatus actu vacantis, & alterius vacaturi, quasi ex ea cultus Ecclesiæ aliquid detrimenti sit recepturus*. Aliter tamen sentit Eminentissimus Protector, ut patebit ex inferius reconsendis.

Nunc igitur inquirendum tantum est de suspensione nominationis Canonicatus, cum nihil hactenus deduxerit Princeps ab Auria adversus Resolutionem captam anno 1801., qua adigebatur Patronus ad supplendum singulis Canonicis annua scuta *viginti* usquedum integros fructus Locorum Montium, quæ erant pro fundo Præbendarum assignata, percipere non possent. Resolutio isthæc prodiit late discussis hinc inde rationibus ex officio in Folio diei 8. Augusti 1801., proptereaque in suo robore perseverat, & manebit, nisi allatis novis, quas Patronus se afferre asseruit, Defensionibus ab EE. VV. revocetur. Debet itaque in vim præfatæ Resolutionis Patronus unicuique Canonico annua scuta viginti per modum provisionis subministrare; sed hoc nil officit, quin vestro subjiciatur examini, utrum suspendenda sit & ad quod tempus cum vacans, tum altera primum vacatura Præbenda in levamen superextantium. Te-

Tenuissimæ quidem sunt Præbendæ Canonicales Collegiatæ S. Martini. Etenim ex fundatione quisque Canonicus nonnisi scuta quinquaginta habere deberet ex fructibus Locorum Montium, qui cum ex Principis Edicto in duplici quinta tantum parte sint exigibiles, suspensis cæteris, vix, ac ne vix quidem annua scuta sexdecim unicuique Canonico nunc obveniunt. Hinc causa esset, cur suspenderetur nominatio vacantis Canonicatus, ut ejusdem fructus in cæteros distribuerentur, sicque inopiæ aliarum Præbendarum consuleretur. Non insolens enim est, ut ad succurrendum tenuitatem Præbendarum suspendatur nominatio vacantium. Hujus suspensionis exempla sunt in *Aquinaten. Suspensionis Nominatio̅nis* 13. *Septembris* 1734., *&* *in Romana Prorogationis Indulti* 14. *Junii* 1806.

Huic suspensioni obstare videtur quod ea vergat in Divini cultus detrimentum. Sed Eminentissimus Protector in sua *Informotione* observat = *decem extare præbendas Canonicales in illa Abbatiali Ecclesia, quorum una fruitur Abbas, altera Archipræsbiter, cæteris fruuntur octo Canonici. Omnes choralis servitii onus portabant alternantes per hebdomadam. Vicissitudo hæc sublata proinde fuit in vim dictæ Resolutionis Sac. Congregationis diei* 12. *Septembris* 1801., *quæ intuitu deficientiæ redituum servitium chori reduxit ad dies festos de præcepto, & ad omnia officia primæ Classis. In hisce igitur diebus nemini ex Capitularibus se eximere fas est a servitio chorali. Quæ cum ita sint, si ad sex tantum reducantur Canonici, sex isti una simul cum Abbatæ, & Archipræsbitero numerum profecto efficerent congruentem ad explenda munera choralia prout visitur in aliis Ecclesiis, ubi annuente legitima potestate hujusmodi reductio locum habet, absque eo quod servitium divinum grave cœperit detrimentum.*

At modum quod attinet petitæ suspensionis statuendum erit *tempus* concedendæ suspensionis, numerusque præfiniendus erit Prebendarum, quæ erunt suspendendæ. Nedum enim postulatur suspensio vacantis præbendæ, sed alterius quoque vacaturæ, ut aliquod emolumentum ceteræ consequantur. Quatenus vero pro unius, vel utriusque Præbendæ suspensione ad aliquod tempus annuatis, Vestrum erit decernere, an fructus ex illa, vel illis obventuri cedere debeant in partem sc. viginti cuilibet canonico assignatorum, & pro eorumdem fructuum

quan-

quantitate diminuenda sit provisoria subministratio a Patrono facienda, prout jam decrevistis in *Mente* Rescripto die 12. Septembris 1812. apposita in casu perceptionis fructuum Locorum Montium.

Dubium proponitur.

*An & quomodo sit concedenda suspensio nominationis in casu &c.*

Dilata, & ad mentem. Mens est, quod præfigatur terminus duorum Mensium Principi ab Auria ad effectum deducendi jura sua contra Resolutionem 12. Septembris 1801, & interim tempus, & tempora non currere.

VICOÆQUEN MISSÆ PRO POPULO Vicarius Capitularis Ecclesiæ Vici exponit quod Capitulum Cathedralis habet curam habitualem, & singulis annis eligit, aut confirmat Parochum de gremio Capituli, qui curam animarum exercet, eique Capitulum annua Ducata *quindecim* subministrat. A pluribus anni neglecta fuit celebratio Missæ *pro omnibus*, *seu pro Populo*. Nam Missa Conventualis quotidie celebratur a Canonicis, sed Missam pro Populo neque a Capitulo, neque a Parocho celebratur. Quare Vicarius vos consulit EE. PP., a quo Missa pro Populo applicanda sit; an a Capitulo, seu potius a Parocho. Super hoc postulato multa perconctatus sum ab ipso Vicario, quæ Vobis ad responsum daudum viam sternerent. In sua Informatione refert Vicarius Constitutiones Ecclesiæ nihil sanxisse quoad applicationem Missæ pro Populo: Parochum numquam eam Missam applicasse, quia stipendium pro hac applicatione non recepit: memoriæ proditum esse, quod unus ex Episcopis Vicoequensibus litem intendisset Capitulo pro stipendio præstando, sed postea a judicio destitisse: Capitulum constare ex septem Dignitatibus, & quatuordecim Canonicis, qui tenuissimas habent præbendas si unam, aut alteram excipias.

*Sess.* 23. *Cape* 1., & 13. *D. Reform.*

Cum ex Tridentino *Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Reform* ii, quibus *animarum cura commissa est* teneantur *divino præcepto* pro ovibus suis *sacrificium offere*, sequitur ut ab eis applicanda sit Missa pro Populo, qui actualem, non qui habitualem curam exercent, quemadmodum definivit S. M. Benidictus XIV. in Constitutione *Cum semper oblatus* ad cujus normam S. Congregatio semper decernit eos, quibus actualis animarum cura incumbit, teneri

ad applicationem Missæ pro Populo, ut cæteris omnissis *Calaguritana Appellationis Missæ pro Populo* 12. *Decembris* 1764., *& in Ovaten.* 12. *Januarii* 1774. Quare si ex his, quæ Vicarius Capitularis proponit, actualis cura residet pænes Parochum, & habitualis penes Capitulum; ille, non hoc ad applicationem tenetur. Neque hoc onus Parochus recusare potest, sive quod sit ad nutum amovibilis, sive quod stipendium pro applicatione non habet. Nam etiam Vicarii amovibiles quatenus actualem curam exerceant, coguntur ad applicationem in laudata Constitutione *Benedictina*, & applicatio hæc facienda est ratione muneris, non stipendii, ita ut Parochus si congruam non haberet, nihilominus ad applicationem Missæ pro Populo teneretur ceu definivit S. Congregatio *in Ferentina* 15. *Marii* 1735. Quare si Parochus non habet congruam sufficientem, non potest idcirco ab hoc onere refugere, sed poterit agere juxta Decretum Tridentini *Sess.* 23. *Cap.* 13. *de Reform* ut congruæ augumentum consequatur.

Quoad præteritum, modernus Parochus, quatenus ad applicationem teneatur, inadimplementum præstare deberet pro tempore quo curam gerit. Sed ex ignorantia, vel desuetudine videant EE. PP. num justa sit causa, cur absolutionem consequatur.

Duo proponuntur Dubia.

I. *An & a quo sit facienda applicatio Missæ pro Populo in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative a Parocho actuali.
Ad II. Affirmative.

*Sess. 14. Cap. 7. De Reform.*

NEPESINA HÆREDITATIS. Dilata est hujus controversiæ definitio, ut in *Regestis* nostræ Secretariæ perquiri posset Resolutio hujus Sac. Congregationis ab Episcopo in sua Informatione allegata *in Camerinen. Hæreditatis* 16. *Junii* 1696. Hanc sane Resolutionem reperii *in Lib.* 46. *Decret. pag.* 250. *a tergo*; & hujusmodi est.

„ In ejus cum quo decessit testamento Franciscus Polinas
„ Canonicus Liberianæ Basilicæ anno 1690. ita dispo-
„ suit = *In tutti poi, è singoli altri suoi beni presenti,*
„ *è futuri sua erede universale fa instituisce, e vuole,*

che

,, *che sia , e con la sua propria bocca nomina la Ven.*
,, *Chiesa Colleggiata di San Venanzio di Cammerino*
,, *sua Patria , alla quale per ragione d'istituzione , ed*
,, *in ogni altro miglior modo lascia l'universa sua ere-*
,, *dità con peso però , che li Signori Canonici di detta*
,, *Chiesa Colleggiata siano tenuti dopo la morte di esso*
,, *Testatore dare , e pagare a sedici povere Zitelle di*
,, *detto luogo di Cammerino sua Patria scudi* 100. *mo-*
,, *neta per ciascheduna di esse per le loro doti , e per*
,, *una sol volta tantum .*

,, Testatore defuncto,ac solutis dotibus orta est contentio
,, inter Priorem Capituli ex una , & cæteros alios Cano-
,, nicos super appropritione fructuum prædictæ hæredi-
,, tatis:prætendente Priore fructus præfatos uti ad Eccle-
,, siam hæredem spectantes esse in beneficium illius Fa-
,, bricæ, ac Sacrarum supellectilium erogandas ; & e
,, converso , allegantibus Canonicis in testamento fuisse
,, principaliter contemplatas personas Canonicorum ,
,, easque gravatas onere dotandi puellas: dotationem , &
,, nominationem puellarum non ad onus,sed ad honorem,
,, & præmium administrationis hæreditatis referendam
,, esse respondit Prior ; hinc delata controversia ad
,, hanc Sac. Congregationem , utraque parte informante
,, decernendum erit .

,, *An fructus hæreditatis , de qua agitur sint erogandi*
,, *in beneficium Ecclesiæ hæredis institutæ , vel potius*
,, *in privatum commodum Prioris , & Canonicorum*
,, *in casu &c.*

,, Sac. Congregatio respondit *Affirmative quoad primam*
,, *partem . Negative quoad recundam .*

Affinis est hæc resolutio controversiæ , quæ vobis propo-
sita est sub Dubio .

*Au fructus hæreditatis Archipræsbiteri Antonini sint erogandi in beneficium Ecclesiæ , seu potius in congruam Archipræsbiteri Turritæ pro tempore in casu &c.*

Affirmative ad primam partem detracta importantia onerum . Negative ad secundam.

*Sess. 25. Cap. 4. De Reform.*

ALBANEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVETUALIS. Quotidianum Chori servitium præstat Capitulum S. Barnabæ Oppidi Mareni, & singulis Canonicis scuta annua 42. & obolos 50., ex Præbenda obveniunt, quæ detractis Missarum oneribus ad annua scuta *viginti septem* cohibentur, & præterea alia annua *decem* in causam distributionum. Rati Canonici se par non habere oneri emolumentum postulant reductionem applicationis Missæ Conventualis ad dies festos de præcepto, quam quotidie celebrant, & applicant. Eñus Episcopus instantiæ favet. Ait enim = *Ex contemporanea mea relatione ad EE. VV. super suspensione Canonicatus vacantis, satis compertum est Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Mareni, qui gravantur quotidiano Chori Servitio, nil amplius ex Canonicatu percipere, præter alias modicas distributiones inter præsentes, quam annua scuta* 27., *deductis oneribus Missarum lectarum, eoque præsertim Missæ Conventualis, quam quotidie per turnum applicant, & hactenus applicarunt pro Benefactoribus in genere. Impar sane*, prosequitur Eñus Episcopus, *videtur hæc retributio, nullis adaugenda modis, diutino servitio Canonicorum cui aliquantulum recreando laudabilis indulgentia videtur, si applicationis hujus quotidianæ obligatione sublata ad festos tantummodo dies, illa cohiberetur secundum æquitatem notoriam Benedictinæ Constitutionis.*

In hac siquidem Constitutione lata a S. M. Benedicto XIV. diei 19. *Augusti anno* 1744., quæ incipit *Cum semper oblatus* præscribitur, quod si Præbendæ tenues sint, applicatio Missæ Conventualis ad dies festos reducatur. Et S. Congregatio quoties de redituum insufficientia constitit, reductionem concessit *in Alexandrina Missæ Conventualis* 23. *Novembris* 1776. *in Placentina Missæ Conventualis* 1. *Martii* 1776., *& in Ilcinen.* 14. *Septembris* 1782., *& in Recineten. Reductionis Missæ Conventualis* 24. *Januarii* 1784.

Intimius itaque animadvertendum est, an constet de redituum insufficientia, ita ut succurrendum sit Canonicorum inopiæ per derogationem oneris, quod proprie ipsorum muneri inest, infixumque est. Fatentur ipsi per allatam Camerarii fidem, quod ex Præbenda scuta 42. & 06. in singulis annis unusquisque percepit, & scuta decem ex distributionibus, hoc est Canonicales reditus in annuis scutis 52. & ob. 50. cousistunt. Cur autem ex

hoc

hoc reditu detrahendæ sint eleemosinæ Missarum lectarum, & cum cantu, perinde ac si alteri celebranti persolvendæ sint, penitus ignoratur. Quin immo fatendum est ad honestam vitæ sustentationem liberam esse unicuique Canonico applicationem in singulos annos 269. Missarum, cum ad annuas 66. lectas tantum, & 28. Conventuales unusquisque ex suo munere teneatur.

Hisce pro veritate præmissis, Vestrum erit sequens dirimere dubium.

*An sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis ad dies festos de præcepto in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

ALBANEN. SUSPENSIONIS NOMINATIONIS Capitulum S. Barnabæ Oppidi Mareni habet tenues præbendas, quæ teste Canonico Camerario ad annua scuta 42., & obulos 50. vix ascendunt, sed detractis Missarum cum cantu, & lectarum eleemosinas ad annua sc. 27. tantum pertingunt, præter distributiones quotidianas, quæ ad annua scuta *decem* singulis obveniunt. Cum restauratio ædium, & meliorationes fundorum rusticorum multum impensæ requirant, neque eam supplere ullo alio modo possint Canonici, postulant suspensionem ad duodennium nominationis vacantis Canonicatus, ut fructus in illas expensas erogari possint. Huic suspensioni suffragatur Magnus Comestabilis Columna Patronus, suumque præstitit consensum, cohibuit tamen ad quadriennium tantum; cui inhærens Emus Episcopus hæc habet in sua Informatione = *Ex judicio, quod reddiderunt periti Agrimensor, & Fabermurarius deputati ex officio comperitur reparationem rusticorum bonorum sumptum exposcere scutorum* 158., *alterum vero expensas desiderare scutorum* 150., q*uod onus esset Canonicis prorsus intollerabile, queis gravatis quotidiani Chori servitio, ac multa celebratione missarum nihil est reliquum ex fructibus* Canonicatuum, *quam annua portio scutorum* 27., *quam profecto imparem quisque vi-*

*Sess. 7. Cap. 6. de Reform.*

*viderit ad vitam quamtumvis parcissime sustinendam. Expedit propterea, ut aliis omnino deficientibus subsidiis, per expositum suspensionis remedium occurrenti infortunio consulatur, ne bonorum reparationibus diutius neglectis ea corruant in vastationem, & postremo fiat ruina sumptuosior. Video quidem quadriennialem hanc suspensionem occurrenti necessitati satis esse non posse, cum reparationes urbanæ, ac rusticæ sumptum exigant scutorum 308. fructus autem quadriennales Canonicatus suspendendi cumulum solum faciant scutorum 108. sed interim satius erit inchoare, quam rem omnino derelinquere.*

Ex his, quæ Eminentissimus Episcopus exponit, sane constat de necessitate restaurationum, & meliorationum bonorum, quæ ad Capitulum pertinent. Constat itidem summam scutorum 308., quæ ex judicio Peritorum pro hisce sive reparationibus, sive meliorationibus requiritur, Canonicis non suppetere, qui tenues habent præbendas. Alias S. Congregatio vel ad dimittendum æs alienum a Capitulo contractum, vel ad expensas necessarias perficiendas suspendit Præbendarum vacantium nominationes, ut fructus eorum in subsidium Capituli erogarentur *in Fanen.* 10. *Januarii* 1784. *ad I. Dub. Ad tempus* quod attinet suspendendæ nominationis Canonici postularunt *duodennium*, sed Patronus ad *quadriennum* cohibet, nec ultra tempus sponte concessum impediendus erit, quominus Jure nominandi utatur. Licet igitur summa colligenda ex quadriennali suspensione non suppetat ad integram expensam, attamen, ut probe observat Eminentissimus Episcopus, *satius erit inchoare, quam rem omnino derelinquere*, cum interea dies alia supeditabit media, quibus perficiendis expensis reparationum, & meliorationum consuli possit.

Dubium proponitur.

*An, & ad quod tempus, & quomodo sit concedenda suspensio nominationis in casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 18. Junii 1808. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

ALBANEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. — *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

*An sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis ad dies Festos de præcepto in casu &c.*

Affirmative ad dies festos.

ALBANEN. SUSPENSIONIS NOMINATIONIS. — *Sess. 7. Cap. 6 de Reform.*

*An, & ad quod tempus, & quomodo sit concedenda suspensio nominationis in casu &c.*

Affirmative ad quadriennium.

SENEN. MATRIMONII. Postquam in Congregatione diei 28. Februarii *superioris anni* prorogatum fuit judicium de *nullitate*, & *dispensatione* Matrimonii, quod agebatur inter Petrum Buoninsegni, & Annam Perini Bran- — *Sess. 24. Cap. 1. de Reform.*

Brancadori, atque ab EE. PP. responsum fuit = *Dilata & esse locum Triennali, ad quem effectum Eminus Archiepiscopus cogat virum remediis canonicis*; statim Anna Perini die 4. Aprilis 1807. in Curia Archiepiscopali Senensi promptam se, paratamque exhibuit exequtioni committere Rescriptum S. Congregationis, instititque, ut *terminus* præstitueretur viro, quo declararet, numquid vellet, an non cohabitationi triennali operam dare. Semel, iterum, tertio dicta fuit dies Petro Buoninsegni, qui ad acta venit declarans nolle se subire experimentum triennale, sed curationi se operaturum, quam Medicus *Lodoli*, & Chirurgus *Semensi* præscripsissent. Quamquam Anna huic declarationi repugnasset, & exequutionem Rescripti S. Congregationis iterum postulasset; attamen vir producto voto Medicorum, qui censebant eumdem curationem facere debere procul a cohabitione cum uxore, Decretum ab Archiepiscopo die 11. Maii 1807. obtinuit = *Dichiarò l'esperimento della coabitazione triennale all' effetto per cui è stato ordinato dalla S. Congregazione essersi dovuto, e doversi intendere incominciato dall' infrascritto giorno, e doversi parimente riputare continuato durante il tempo della cura, e fino a nuovo suo Decreto non ostante la materiale abitazione de medesimi Sig. Conjugi in luoghi diversi*.

Post menses fere quatuor, scilicet de mense Septembri sequenti Petrus Bouninsegni apud acta juratus professus est se curationi operam dedisse juxta ac Medici præscripserant, sed frustra, cum eadem imberillitate laboraret, atque attestationem Medici Simoncelli produxit instans, ut a Medico Lodoli & Chirurgo Semensi corpus suum recognosceretur. Insurrexit tum Defensor Matrimonii ex officio, & postulavit ut Rescriptum S. Congregationis super cohabitatione triennali exequutioni committeretur. Archiepiscopus tamen altero Decreto jussit ut Periti *Lodoli*, & *Semensi* referrent de sequta curatione, & statu corporis Petri Buoninsegni, & de ejus potentia, vel impotentia. Quare Periti subjecti quæstionibus a Defensore Matrimonii propositis responderunt, inutilem successisse curationem, atque vitium paralisis quod in genitalibus Petri detegebatur vinci nullo modo posse, neque idcirco utile futurum experimentum triennalis habitationis.

Hæc

Hæc, quæ gesta sunt in Curia Archiepiscopali Senensi narravit Anna Perini in precibus Sanctissimo oblatis postulans *di dispensarla dal matrimonio predetto rato soltanto, e non consumato*. Ex Audientia vero SSmi 28. Novembris 1807. prodiit Rescriptum *SSmus rejecit instantiam, & firmo remanente Decreto S. Congregationis 28. Februarii proxime præteriti, mandavit in reliquis Oratricem uti jure suo in eadem S. Congregatione*.

Reproponitur nunc causa, ut EE. PP. deliberent num persistendum sit in priori sententia, quæ triennalem cohabitationem præscripsit. Negat Defensor Annæ in *Allegatione* Vobis distribuendam, ea innixus ratione, quod nunc constat de insanabili impotentia viri, tum ex inutili curatione, tum ex nova recognitione corporis a Peritis facta. Quare si aperta est impotentia, illicitum aut saltem inutile erit experimentum triennale, & subest idonea causa, cur matrimonium dispensetur. Contra Defensor Matrimonii in suis impressis *Animadversionibus* urget nullitatem actorum in Curia Archiepiscopali Senensi. Nam Archiepiscopus tamquam exequtor Rescripti S. Congregationis debebat remediis Canonicis compellere virum ad cohabitationem. Si igitur ipse præscripsit, ut vir curationi incumberet, si ejus corpori inspectionem mandavit, prætergressus est suam jurisdictionem, ac propterea nullitate laborant acta, nec relatio peritorum idonea est ad demonstrandam impotentiam. Præterea ostendere studet suspectam esse fidem Peritorum, & dubiam adhuc esse impotentiam Petri Buoninsegni, eumque de collusione pluribus argumentis arguit, ut propterea necesse sit triennalem cohabitationem usque ad ultimum diem perducere.

Dubium proponitur, quod EE. PP. reassumpto *Folio* diei 28. *Februarii* 1807. dirimere dignabuntur.

***An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.***

**In Decisis.**

*Sess.24.cap.3. de Reform.*

AQUINATEN. ET PONTISCURVI PROCURATIONIS. Exoravit Episcopus Aquinatensis, & Pontiscurvi inducias, quas in Congregatione *diei* 20. *Februarii* 1808. obtinuit, ut juribus a Capitulo Cathedralis Pontiscurvi allatis posset respondere. Nam Capitulum magnopere confidebat *privilegio Cathedralitatis*, *observantia*, *& residentia* Episcopi, ut a præstanda procuratione sese exemptum, immunemque probaret. Tria hæc convellere nunc studet Episcopus in scriptis mihi exhibitis, quorum hæc summa sunt capita.

*Privilegium* exemptionis *a Procuratione* negat Episcopus indultum fuisse Capitulo in Litteris Apostolicis, quibus S. M. Benedictus XIII. anno 1725. Ecclesiam Collegiatam S. Bartholomei in Cathedralem erexit, & Cathedrali Aquinatensi univit. Etenim contendit, quod cum expresse hoc privilegium concessum non sit, illud derivari non possit ex jure Cathedralitatis, quo eadem Ecclesia impartitur. Hoc sane præcipue voluit Pontifex, ut *dignioribus titulis* augeretur Colleggiata S. Bartholomæi, ac propterea solam *honorificentiam*, non verum jus *Cathedralitatis* concedere voluit. Quare verba amplissima, quibus usus est Pontifex intelligi, & cohiberi debeant ad titulum *honorificentiæ* non vero ad jus *cathedralitatis* sive quod in interpretatione Privilegiorum spectandum sit id tantum, quod præcipue concessum est, ut tradit *Bald. in Cap.* 1. §. *item de pace jurament. firman.* sive quod in privilegiis tantum videtur concessum, quantum scriptum est ut docet *Rot. cor. Seraphin. Decis.* 1445. *n.6.*

Addit quoque non dismembratam fuisse Ecclesiam Pontiscurvi ab Ecclesia Cathedrali Aquinatensi, neque separatum fuisse territorium, sed tantum Ecclesiam illam S. Bartholomæi erectam fuisse in Cathedralem. Quare si Ecclesia Aquinatensis retinuit jus Matricitatis, non potuit Ecclesia Pontiscurvi aquirere ea, quæ ad jus, sed tantum, quæ ad honorem veræ Cathedralis pertinent. Immo vero contendit Episcopus Aquinas, noluisse Pontificem Ecclesiæ Pontiscurvi concedere jus veræ *cathedralitatis*. Nam eidem expresse sustulit jus aligendi proprium Vicarium Capitularem, ubi Sedes Episcopalis vacasset, & expresse cavit, ut a Capitulo Aquinatensi eligeretur. Quare si eidem Ecclesiæ Pontiscurvi hoc jus sub-

sublatum est, quod ad propriam Cathedralitatem pertinet; profecto patet numquam a Pontifice jus, sed honorem tantum Cathedralitatis fuisse concessum. Neque devium esse dicit Episcopus alicui Ecclesiæ honorem tantum, non jus Cathedralitatis impertiri. Nam exemplum adducit Ecclesiæ Pivernensis, quæ ab eodem Pontifice Benedicto XIII. anno 1725. restituta fuit ad honorem Ecclesiæ Cathedralis, quin tamen omnia jura eidem concessa sint. Nam expresse Pontifex ille jussit, quod Episcopo visitanti solveretur *Procuratio*, quando tempore *inceptæ visitationis in Civitate Pivernen. non resedisset.* Quibus ex rebus concludit Episcopus, quod, cum Ecclesia Pontiscurvi non habeat expressum privilegium, ut immunis sit a *procuratione*, neque jura veræ *cathedralitatis*, numquam possit se a præstanda procuratione eximere.

Quod vero ad contrariam *observantiam*, ait Episcopus se habere in jure *intentionem*, ut ajunt, *fundatam* ut Ecclesias visitet, atque idcirco ut procurationem exigat, cum procuratio sit visitationi annexa. Quare non ipse tenetur observantiam solutionis probare, sed Capitulum observantiam contrariam ostendere. Neque vero Episcopus, quatenus teneretur, posset observantiam probare, cum præteritorum temporum injuria tabularium Episcopale expilatum sit. Quod si Capitulum ostenderet, nihil se umquam Episcopo visitanti solvisse in causam procurationis, tum negat Episcopus hanc observantiam juvare Capitulo, neque in linea *præscriptionis*, neque in linea *consuetudinis*.

Principio enim præscriptio hæc cum nitatur titulo privilegii a Pontifice concessi, ex hoc ipso infecta est, quod hoc privilegium non subsistit, atque caret præscriptio justo titulo. Deinde jus exigendi procurationis præscribi non potest, cum a jure concessum sit, & proinde non secuta exactio tribui possit, aut secordiæ, aut voluntati Antecessorum Episcoporum, qui neque subditis concedere exemptiones, neque jura Episcopalia remittere possunt in præjudicium successorum. Quod si contraria observantia pro *consuetudine* accipiatur, tum universalis sit oportet in tota Diecesi, & ante Tridentinum Concilium introducta quemadmodum Episcopus interpretatur ex verbis Decreti ipsius Concilii *in Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Reform. in iis, locis vel provinciis, ubi consuetudo est, ut nec*

 *vi-*

*victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant ibi id observetur.*

Nam ipse Episcopus observat, quod in jure canonico vocabulum *loca* plerumque usurpatur pro *Diœcesibus ut ex Cap. Si quis Episcopus* 31. *Cap. Mutationes. Cap. omnis de Episc. translat Cap. Requisivit de ordinat. ab Episc.* Cum vero Tridentinum loquatur de consuetudine, quæ *est in locis, vel provinciis* putat, quod agat tantum de consuetudine jam introducta. Negat porro Episcopus, quod hæc consuetudo sit generalis per totam Diæcesim, idque testibus confirmat, qui ajunt = *Sappiamo che il Vescovo al pari degl' altri antecessori di Aquino tiene il pacifico possesso per tutti li Cleri, e Chiese della Diocesi di esiggere la procurazione in Sagra Visita.* Quod vero tempore Tridentini Concilii nulla esset consuetudo hujusmodi probat ex authoritate *Crispin. de Visit. Pastoral. part.* 1. §. 16. *n.*2. *ibi* = *A tempo che della Chiesa di Aquino era Vescovo Flaminio Filonardi &c. dubitò se gli fosse lecito esiggere da tutto il Clero di quella Diocesi una certa somma di denaro non eccedente in tutto sessanta Ducati soliti esiggerli, ed insieme ricevere le spese cibarie come avevano praticato i Vescovi di Aquino suoi predecessori, e ne dimandò l' oracolo di Gregorio XIII. il quale con lettere Apostoliche in forma di Breve gli rispose, che era lecito al medesimo Flaminio esiggere il predetto denaro, purchè visitasse la Diocesi a loro spese &c.*

Tandem quoad *residentiam* ex pluribus allatis Testibus probare studet Episcopus ex Sententia Delegati Apostolici confirmata a *Breve* Pontificio fere a sexaginta annis constitutam fuisse Residentiam in Oppido *Roccasecca* non procul a Civitate *Pontiscurvi* sito, quo loci ejus Antecessores semper steterunt ad Civitatem *Pontiscurvi* accedentes, ut ipsam visitarent. Ex his concludit Episcopus, quod allatæ a Capitulo Resolutiones hujus Sac. Congregationis nihil faciant ad rem, cum vel agant de veris Cathedralibus, vel de aliis locis, in quibus Episcopus aliqua parte anni residere soleat.

Hæc Episcopus habet, quæ jam in sua Informatione deduxerat. Contra hæc Capitulum nova scripta mihi protulit, ut contraria, quibus usus est Episcopus argumen-

menta, refutaret. Quoad privilegium cathedralitatis, quo fruitur Ecclesia Pontis curvi, se refert ad ea, quæ in præterito Folio latius deducta fuere, ut sive ex littera Constitutionis Apostolicæ, sive ex mente Pontificis ostenderet Ecclesiam Pontiscurvi in Catedralem fuisse erectam. Addit nunc, quod Episcopi solemni ritu soleant possessionem Ecclesiæ Pontiscurvi nancisci, ubi ad hanc cathedram promoventur. Ex hoc porro ipso patet Ecclesiam Pontiscurvi esse veram Cathedralem. Quare Capitulum ita concludit: Si Ecclesia Pontiscurvi erecta fuit in Cathedralem gaudere debet iis juribus, quæ Cathedralitati annexa sunt, nisi ea, quæ Pon ifex expresse negavit. Ergo fruitur jure immunitatis a Procuratione, quod jus est *Cathedralitati* annexum, neque a Pontifice expresse sublatum.

Quoad *consuetudinem* affert Capitulum regulam a S. Rota traditam *in Perusina Immissionis* 12. *Junii* 1775. §. 3. *coram Emo de Bayane*: scilicet illi, qui in observantia, & consuetudine confidit, satis esse negare se quidquam solvisse, cum ipse *negativam solutionis* probare non possit; illi vero, cui observantia adversatur, necesse esse sequtas solutiones ostendere, ut ex hac probatione vis observantiæ infirmetur. Nihilominus Capitulum affert testimonium Archivistæ Capituli, qui inspectis Codicibus dati, & accepti, affirmat numquam, vel obolum in causam Procurationis solutum apparere neque moderno Episcopo, neque antecessoribus.

Negat porro Capitulum, quod hæc consuetudo generalis esse debat per totam Diæcesim. Nam particula illa disjunctiva = *seu* = *in iis locis*, *seu provinciis* = satis demonstrat, quod Tridentini Patres significare voluerint distinctas res, ut proinde cum *loca* eadem esse non possint, ac *Provinciæ*, sequitur, ut si sub nomiue *Provinciarum* veniat Diæcesis universa, pro fecto nomine *locorum* accipienda sunt oppida, & Civitates, quemadmodum interpretatur *Fagnanus in Cap. Venerabili num.* 27. *de censib. part.* 2. *Decret.*. Ex pluribus autem Testibus ostendit Capitulum, quod in Civitate Pontis Curvi neque Cathedralis, neque Collegiatæ, neque aliæ Ecclesiæ, sive seculares, sive regulares, quidquam nomine Procurationis visitanti Episcopo rependunt. Quin Episcopus jure succensere possit, quod hæc consue-

suetudo introducta sit post Tridentinum Concilium. Nam respondit Capitulum, quod hæc observantia, cum immemorabilis sit, afferat præsumptionem cujuscumque melioris tituli, quo Capitulum immunitatem a Procuratione aquirere potuerit.

Postremo de *Residentia* negat Capitulum, quod afferatur authographum, aut saltem authenticum exemplar Sententiæ Delegati Apostolici. Sed nihil hæc sententia sibi obesse putat neque *in facto*, neque in *jure*. Non in *facto* quia nihilominus, quod Sententia Delegati residentia Episcopalis translata sit ad Oppidum *Rocca Secca*, Episcopus etiam extra visitationis tempus aliqua parte anni resedit in Civitate Pontis Curvi, ut ex testibus probatur. Non *jure*, quia cum Episcopus in Civitate Pontis Curvi habeat (ita jubente Pio VI.) Vicarium Generalem distinctum a Viceario Generali Aquinatensi, patet quod habeat quoque *residentiam juris*, quæ satis est, ut Ecclesia Cathedralis ad Procurationem præstandam adigi non possit. Residentia enim juris ea est, quam Episcopus in Cathedrali ex jure habere tenetur, licet revera non resideat, ac propterea Cathedralis immunis est a procuratione licet Episcopus alibi moretur, cum satis sit *residentia juris*. Alia vero Diæcesis loca eximuntur a Procuratione ex *residentia facti*, quatenus scilicet Episcopus revera in eo loco aliqua parte anni maneat secundum authoritates allegatas in *præcedenti Folio*.

Reassumpto itaque Folio Congregationis diei 20. *Februarii* 1808. EE. PP. deliberare dignabuntur.

***An Episcopo visitanti Ecclesiam Chatedralem Pontiscurvi debeatur Procuratio in casu &c.***

**Negative.**

*Sess. 24. Cap. 7. De Reform.*

ROMANA PRÆLATIONIS. Ex Decreto Emi Præfecti impetravit Borgnanus novam Audientiam a Resolutione S. Congregationis diei 26. *Martii* 1808. in qua rogati

EE.

EE. PP. *An sit locus prælationi* responderunt = *Negative*, *& amplius* = Borgnanus tamen nihil mihi exhibuit, & Ciampius pro *reassumptione* supplicat præteritæ *Allegationis*, cujus summa capita deducta sunt in Folio Congregationis diei 26. *Martii* 1808. ab EE. PP. benigne reassumendo.

Proponitur Dubium.

*An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.*

In Decisis, & amplius.

TUSCULANA SERVITII CHORI. Non una, sed pluribus distinctis fundationibus coaluit Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Tusculanæ, atque modo inter Dignitates & Canonicos & Benificiatos *primæ*, & *secundæ erectionis* discriminatur. Primam erectionem fecit anno 1537. Paulus III. postquam creverat nova Civitas, ad radices Montis Tusculi, ubi se receperunt profugi Incolæ veteris municipii Tusculani, quod in summo vertice montis positum anno 1191. vi eversum fuit. Pontifex enim ex Parrochiali Ecclesia Cathedralem sedem erexit, atque Capitulum instituit constans ex Parocho Archipræsbitero, quatuor Canonicis, & geminis Beneficiatis. Sixtus V. æque duas Canonicales præbendas adiunxit assignatis scutis centum ex redditibus Cameralibus, & aliis scutis centum super redditibus Mensæ Epicopalis In causam vero distributionum quotidianarum Clemens XII., qui ante Pontificatum Maximum Sedem Tusculanam tenuit, scuta *bismille* donavit, quæ in fundum frugiferum collocata fuere. Ex *Secunda* vero *erectione* sunt duo Dignitates Archidiaconus, & Primicerius, undecim alii Canonici, & tres Beneficiati. Sunt præterea alii quinque Beneficiati, qui vel omnibus diebus festis, vel Solemnitatibus tantum primæ & secundæ classis chori servitium præstant. Has Præbendas secundæ erectionis instituit fundatorum pietas, & munificentia decessoris Episcopi cl. me. Cardinalis Eboracensis, atque separatos habent redditus, quos administrant Præbendarum

*Sess. 24. Cap. 12. de Reform.*

rum possessores, collata tertia parte pro distributionibus quotidianis.

Non satis constat quale servitium chori obierit Capitulum primis fundationis temporibus. Consuetudine tamen inolevit, ut servitium esset continuum, ita tamen ut per turnum duo Canonici vacarent una hebdomada diebus ferialibus, ut patet ex actis Sacrarum Visitationum, quas annis 1636., & 1660. gesserunt Episcopi Altieri, & Severoli. Aliquantulum postea immutata fuit hæc ratio obeundi choralis servitii. Nam ex actis Sac. Visitationis peractæ anno 1703. ab Archiepiscopo Hydruntino de Aste constat Canonicos vacare consuevisse per unam hebdomadam singulis mensibus, sive tres canonicos per singulas hebdomadas. Ex constitutionibus porro Ecclesiæ, quas anno 1761. vulgavit, & in Synodo habita anno 1763. confirmavit cl. me. Cardinalis Eboracensis præscriptæ sunt vacationes per turnum, ut scilicet quisque choro intersit per duas hebdomadas, tertia ab eo vacet. Sed idem Cardinalis Eboracensis ab hac Sac. Congregatione opportunis facultatibus auctus servitium chori ad mediariam reduxit, *exceptis tamen diebus festis & tempore Adventus*, *& quadragesimæ*, *& octavarum privilegiatarum* juxta indultum concessum *die* 16. *Martii anni* 1771., quam reductionem servandam esse jussit in Synodo anni 1776.

Usque dum Canonici ad hanc normam servitium chori exegerunt, sed diminutis ob varios rerum casus fructibus præbendarum, postularunt ab hac Sac. Congregatione ut eximerentur a communi servitio chori tempore Adventus, & octavarum privilegiatarum, atque ut tempore quadragesimæ reduceretur ad interventum matutinum & in octava SSmi Corporis Christi ad servitium vespertinum; Sed rejectæ fuere preces per Rescriptum diei 23. *Novembris* 1805. *Gaudeant impetratis.* Renovarunt tamen instantiam Canonici, & adductis exemplis aliarum Cathedralium insteterunt poscere reductionem servitii chori. EmusEpiscopus in sua Informatione deducit ea, quæ instantiæ favent, quæque erunt inferius recensenda. Nunc ex ejus *Voto* scire præstat ab anno 1771. ad annum 1806. decrevisse Præbendarum fructus, atque id demonstratur ex folio, in quo singularum præbendarum fructus adnotantur, qui anno 1771., & anno 1806. percepti sunt, unde insti-

instituta veluti comparatione pateat, quod fructus præbendarum certe quidem decreverint. Describuntur æque onera Missarum, quæ singulis præbendis inhærent, atque alia onera, quæ a singulis præstanda sunt, atque hisce omnibus detractis calculantur fructus, quos quisque præbendarum possessor percipit omnino liberos. Si excipiatur Canonicus Theologus qui annua scuta 121. 63., Archidiaconus qui scuta 89. 50., Archipræsbiter, qui scuta 69.46. percipit libera prorsus, ab omnibus oneribus, etiam Missarum, ex cæteris præbendis pinguior est scutorum 55.89., tenuior scutorum 14., reliquæ vero inter hæc extrema consistunt.

Hujus diminutionis porro rationem affert EmusEpiscopus in sua Informatione. *Veruntamen*, ait, *si quæras cur ab anno* 1771. *ad præsens decreverint proventus, in promptu est utique certissima ratio, nempe ex LL.MM. fructuum diminutione, ex censibus vel deperditis, vel diminutis ob rerum publicarum vicissitudines, ex domorum dislocationibus ob Populi deficientiam, a quibus nominibus præcipue fructus Canonicales conflantur. Num augeri poterunt? Nec spes quidem fulget; desperanda quæcumque auctio videtur, timendum potius ne magis, magisque decrescant, ceu consideranti patet.*

Postulat Capitulum, ut quodammodo temperentur clausulæ ille appositæ in indulto Sac. Congregationis anno 1771., quo Episcopi arbitrio permittebatur, ut servitium ad alternas hebdomadas, sive ad *mediariam* reduceretur, *ita tamen = ut omnibus diebus festis, & tempore adventus, & quadragesimæ, & octavarum privilegiatarum Ecclesiæ inservire, & choro, & divinis officiis interesse teneantur.* Verum Clausulæ hujusmodi numquam prætermittuntur, ubi servitium chori reducitur. Tum enim compelluntur omnes interesse tempore quadragessimæ, adventus, omnibus diebus festis præcipue solemnioribus, & saltem in Octava SSmi Corporis Christi, quemadmodum videre est inter plures alias Resolutiones hujus Sac. Congregationis *in Arianen.* 12. *Decembris* 1796., *in Isernien.* 26. *Junii* 1723., *in S. Severinæ* 13. *Julii* 1725., *in Tranen.* 22. *Novembris* 1718., *in Bituntina Servitii Chori* 27. *Septembris* 1770. Immo cum *in Tarraconen.* 18. *Februarii* 1764. reductum fuerit servitium Chori cum *solitis clausulis*

scilicet *ita tamen, ut Capitulares omnes tempore adventus, & quadragesimæ omnibus diebus festis, & Solemnioribus Nativitatis, & Resurrectionis D. N. J. C. Pentecostes, & SSmi Corporis Christi, & per totam octavam ejusdem, ac aliis temporibus Ordinario benevisis interesse, & jugiter servire teneantur*, reclamantibus Capitularibus, ut clausulæ hujusmodi essent moderandæ; Sacra Congregatio *die* 23. *Martii* 1765. omnino petitionem rejecit, clausulasque illas firmas voluit. Si servanda est incolumis disciplina hujusmodi, frustra postulat Capitulum Tusculanum, ut temperentur clausulæ, quæ respiciunt commune servitium tempore Adventus, Quadragesimæ, & Octavæ SSmi Corporis Christi. Ad summum investigandum erit num reducendum esset servitium in aliis Octavis privilegiatis, vel saltem num concurrat justa causa, quamobrem inveteratæ disciplinæ sit derogandum. Præcipua, quæ affertur causa est diminutio, quam ab anno 1771. tulerunt fructus præbendarum; De qua quidem diminutione nonnulla vobis EE. PP. præ munere observanda proponam, prius quam Emi Episcopi sententiam referam.

Etenim non tam quærendum videtur, si fructus diminuti sint, quam num habeant Capitulares congruum emolumentum servitio, quod nunc præstant. Sane de omnibus præbendis hoc affirmari non potest; cum quædam sint pinguiores præ aliis quædam modiocritate quadam superant tenuiores. Non igitur indiscriminatim concedenda esset exemptio a choro, sed iis tantum, quæ curtum habent stipendium. Deinde licet nonnullæ præbendæ tenues omnino videantur, aliæ vero haud ita multo pingues; attamen observandum, quod detracta ex iis est eleemosina pro oneribus Missarum. Hanc vero æleemosinam ipsi Præbendati percipiunt, neque eam consequerentur, nisi præbendas ipsas possiderent. Quare has eleemosinas revera augent fructus præbendæ, & calculandæ sunt quodammodo pro emolumento muneris Canonicalis, cui inest onus servitii Choralis. Et revera tenuior illa Præbenda, cui annua scuta 14. tantum superesse dictum est, annua 34. 60. dat Possessori, præter scut. 12. & 60. 90. quæ in exhibita Notula pro exitu detrahuntur, ita ut reditus annuus in totum ad annua scuta 47. 50. nunc ascendit post passam diminutionem Servitii choralis. Quamquam vero afferuntur exempla

alias

aliarum Ecclesiarum in quibus præstatur servitium ad *mediariam*, ad *tertiariam*, & ad *quartariam*, & nihilominus non habent communès omnes illos dies, quos a reductione excipit indultum anni 1771.; attamen ad rem facere non videntur, quia non constat utrum id in fundatione constitutum sit, an vero ex indultis impetratis ob peculiares circumstantias.

Nihilominus Eminentissimus Episcopus hæc habet. *Eo* inquit, *redit tota disputatio, & inspectio, ut perpendendum veniat, ni fallor, an in præsenti hypothesi, aut urgens, aut justa aliqua, & rationabilis causa concurrat, quæ servitii tempus, ac modum alias definitum anno 1771. moderandum, imminuendumque suadeat. In qua quidem disquisitione præcipua ratio eruenda videtur ex reddituum tenuitate. Qui sit itaque Canonicorum, & Beneficiatorum census habetur ex enunciato Folio .... Cæterum non desunt in meo Capitulo nec ætate graves, valetudine male affecti, nec hyeme in Ecclesia aeris rigor, quo indulgetur diebus ferialibus horas canonicas Sacrario persolvere, nec tandem desiderandus venit cumulatissimus Canonicorum, & Beneficiatorum numerus ad laudes alternatim per hæbdomadas decore exolvendas, ita ut Ecclesiæ servitium nullum expetitæ indulgentiæ concessione detrimentum venire poterit, præcipue quoad Conpletorium tempore quadragesimæ exceptis diebus festivis, atque quatuor postremis diebus hæbdomadæ Majoris, cum res sit de minima officii parte a reliquis sejuncta. At quis opponet, quid utilitatis, quid lucri exinde obtinent Canonici, nisi per plateas, per vicos ociari? Verumtamen illi reponunt nimis probare objectionem. Sequeretur enim umquam ob reddituum tenuitatem concedi posse Servitii reductionem, quod pugnat cum S. Congregationis Decretis. Præterea num proprium commodum despiciendum, num Canonicalium vestium posthabenda parsimonia?*

Dubium proponitur.

*An, & quomodo moderandæ sint clausulæ Indulti diei 16. Martii anni 1771. in casu &c.*

Negativè.

*Sess.21. Cap.6. de Reform.*

TUDERTINA. Fato cessit die 23. Septembris 1804. Franciscus Innocenzi Tudertinus, resignatisque ejus testamenti tabulis compertum est, quod ipse scriptis nonnullis Legatis (quæ inter præcipuum erat illud relictum Uxori suæ Annæ Carrozzini, cui præter dotem, & lucrum legavit usumfructum Prædii *Mezze Piagge*, & præterea annua scuta *triginta*) reliqum hæreditarium assem, deducto ære alieno, in subsidium pauperum certo præscripto modo erogandum esse jussit. Nominavit porro *esecutori testamentarii il Nobil Uomo Signor Canonico D. Filippo Sardoli, ed il Signor Andrea Angeli con piena ragione, ed in ogni miglior modo pregandoli per carità a voler accettare questa mia disposizione, ed assistere la mia degnissima Consorte in tutti li suoi bisogni, che gli potessero occorrere, premendomi moltissimo, che da niuno venga strapazzata, e nel caso, che non volessero accettare, do facoltà amplissima alli sudetti di poter nominare due sogetti a loro piacimento, acciò possino mettere in esecuzione questa mia volontà, e per semplice gratitudine lascio alli medesimi scudi dieci per ciascheduno.*

Munus sibi demandatum acceptarunt Exequtores Testamentarii, & conscripto Inventario supellectilem omnem, aliudque omne *mobilium* genus vendiderunt: retracto pretio scutorum 2357. 13. Cum Vidua transegerunt, ut loco usufructus Prædii *Mezze Piagge* acciperet annua scuta *triginta*, atque ita rem utilem hæreditati fecerunt cum vendito prædio, atque collocato pretio scutorum 720. fructus hereditarios ad scuta 61. auxerunt. Pari modo curas impenderunt ut nomina debitorum exigerent, atque creditorum dimitterent. Sed ex Rescripto Sanctissimi diei 18. Septembris 1806. hæc hæreditas applicata est Monti Pietatis, quod Tuderti erectum est. Constitit ex dispunctionibus rationum hæreditatem Innocenzi attingere scuta 4275., & ipsos Administratores debitores extare in scutis 165. Sed isti reclamarunt ad Sacram Congregationem, ut eis emolumentum constitueretur pro exercita administratione, quod postulare videbantur in scutis *quinque* pro quolibet *centenario* super toto asse *hæreditario*. Sed contra obnitentibus Deputatis Montis Pietatis rescriptum fuit die 21. Novembris 1807. = *Lectum, & scriba-*

*batur Episcopo, qui juris, & facti remediis cogat Oratores ad restitutionem summæ residualis*. Cum postulassent Exequtores testamentarii, ut possent sua jura deducere iterum die 14. Decembris 1807. rescriptum fuit: *Facta restitutione residualis summæ ad formam Decreti diei 21. Novembris proxime præteriti recurrant*. Reintegrarunt preces pro obtinendo emolumento, postquam ad tramites Rescriptorum solverunt scuta *centum*, & scuta *septuaginta septem* deposuerunt apud acta Pieri favore Montis cum lege erogationis juxta Ordines S. Congregationis.

Preces hujusmodi remissæ fuere pro *Informatione auditis præsertim Deputatis facta interim favore Montis solutione summæ depositæ penes Acta Pieri*: Episcopus refert: *Oratores Sardoli, & Angeli in se ipsos administrationis officium integraliter suscepisse. Hæc causa extat, quæ ad EE. VV. secundo ipsi recurrunt, (cum eorum præces prima vice rejectæ sint) ut stipendium eorum administrationi respondens adipiscantur. Hac super re requisiti Montis Pietatis Deputati tamquam interesse habentes exposuerunt eorum sententiam, ut scilicet obtineant ob EE. VV. aliquam honorificam gratificationem ab officia ab eis præstita in hæreditatis utilitatem, numquam vero sub titulo stipendii sensu rigoroso, & stricte accepti, quoniam tunc hoc cederet in grave damnum patrimonii pauperum, & insuper dedeceret tales Nobiles viros sub mercenariorum nomine comprehendi. Poterunt itaque EE. VV. remittere judicio Deputatorum summam talis gratificationis, quoniam istis optime innotescit quod laboris insumpserint in recensita administratione Oratores, & quoniam ego a tali negocio memet eximere omnino excogito.*

Munus sane Exequtoris testamentarii est omnino gratuitum, atque adeo magis in casu, quo testator eosdem deprecatus est *per carità di voler aceettare questa mia disposizione*, atque illis reliquit *per semplice gratitudine scudi dieci per ciascheduno*. Nam ex voluntate Testatoris apertum est gratis Exequtores testamentarios operas suas præstare oportere. Poterant quidem munus abdicare, si grave eis hoc munus esset futurum, sed ubi illud acceptarunt, se couformasse censentur voluntati testatoris, qui gratuitas operas ab ipsis postulavit. Ve-

Verum ipsi emolumentum petunt non qua Exequtores testamentarii, sed qua administratores hæreditatis. Nam ipsi tamquam exequtores ad aliud nihil tenebantur, quam advigilare ut Testatoris voluntas exequtioni committeretur, in quo certe fatentur gratis suas operas locare debuisse. Sed neque ex voluntate testatoris, neque ex proprio officio tenebantur curas administrationis suscipere, sed poterant deputare ratiocinatorem, qui calculos hæreditarios faceret, eligere exactorem, qui pecunias exigeret, & solveret. Quare si ipsi sine ullo hæreditatis sumptu has curas susceperunt, quæ ad exequtoris munus non pertinent; emolumentum gestæ administrationis jure petere posse contendunt, cum id permissum sit Exequtori Testamentario, qui administrationem hereditatis gerit, ut tradit *Felix Podest. Examen rer. Ecclesiastic. tom.*1. *part.*2. *num.*2535.

Pertinet ad Vestrum judicium EE. PP. statuere quantum eis in hanc causam sit suppeditandum, quatenus Vobis aliquo emolumento digni videantur. Neque enim Deputati Montis repugnant, quin eis aliqua concedatur gratificatio, *numquam vero sub titulo stipendii sensu rigoroso, & stricte accepti*. Ipsi hoc nomine postularunt tamquam cæteri administratores scuta *quinque* in singula *centum* super universo asse hæreditario, quod attingit scuta 4275.. Episcopus proponit ut arbitrio Deputatorum permittatur quantitas pro emolumento assignanda. Vestrum itaque erit ad dirimendam quæstionem sequenti Dubio respondere.

*An, & in qua summa sit locus præstationi emolumenti in casu &c.*

Affirmative in scutis 40. pro unoquoque

*Sess.*14. *Cap.*4. *de Reform.*

FREQUENTINA IRREGULARITATIS. Veteres calebant inimicitiæ inter Familias *Cappuccio*, & *Mattano* ex Oppido Mirabello, quæ die 26. Februarii 1803. ad

ad extremum discrimen utrumque familiam adduxerunt. Nam conspirantes illi de Familia Mattano in Marcianum Cappuccio, hunc Camillus Mattano, qui eorum caput erat, interfecit explosa ignea balista, cujus fragorem audivit Sacerdos Clodealdus Cappuccio frater occisi, dum pueros ex suo instituto erudiens domi manebat. Ad fenestram accurrens vidit advenientem Cammillum Mattano, qui erectum deferebat igneum missile. Extimuit Sacerdos Cappuccio vicinæ mortis periculum, quam conjurati Mattano universæ ejus familiæ inferre minitabantur. Quare æstu doloris percitus in actu *primo primi* arrepto sclopo, quo interfectus frater utebatur, de fenestra advenientem Cammillum Mattano interfecit. Carceribus mancipatus est Sacerdos Cappuccio, & post quatuor annos ab uxore occisi remissionem obtinuit, & a Fisco Decretum absolutorium, ex quo constat homicidium commissum fuisse ad sui defensionem. Modo Presbyter Cappuccio obtulit preces pro impetranda dispensatione ab irregularitate. Episcopus in sua *Informatione* expositas circumstantias confirmat, & prætera asserit Sacerdotem Cappuccio *a puero animum, mentemque lenem, ac mitem gessisse, in hoc Diœcesano Seminario multis annis vitam laudabiliter traduxisse, ac proinde a ludis, & veneratione semper abstinuisse, exemplo potius cœteris præluxisse, pueros, & Adolescentes litteris non minus, quam pietate edocuisse, neminem umquam verbis, vel re læsisse*. Post vero commissum crimen, impetratamque absolutionem, ait Episcopus, *Oratorem facti pœnitentem non solum a Sacris usque modo abstinuisse, ac pro defuncti anima suffragia pro viribus persolvisse, sed etiam sponte patriam Mirabellæ dereliquisse, & in Terra Cryptæ Minardæ moram, & domicilium fixisse ubi nunc honeste vivit, pueros edocet, & cunctis vita, & moribus exemplo præit, seque humillime gerit, quod pœnitentis animi præclarum indicium præsefert*.

Proposita hæc instantia fuit per *Summaria Precum* in Congregatione diei 26. *Martii* 1808. rescriptumque prodiit = *Expectet, & denuo commendatus ab Episcopo recurrat* = Nunc igitur affert litteras commendatitias Episcopi, qui ait = *Nunc autem cum eidem, quam cœpit humilis, ac pœnitentis vitæ rationi perseverantem inhæ-*

*inhærere videam, & de eo, quem patraverat, excessu dolentem quam maxime, summamque, ad quam redactus est paupertatem, bonisque omnibus fortunæ expoliatum; non possum quin enixe etiam, atque etiam EE. VV. deprecer, animique mei sensum aperiens fatear ipsum vere dignum nunc esse, qui ab irregularitate dispensetur, & absolvatur ut possit inde sacrum quotidie peragere, & sic cum Sororibus, quas domi virgines plures alere debet, sustentari.*

Quamquam ex Decreto absolutorio homicidium a Sacerdote Clodoaldo patratum videatur ad sui defensionem, non tamen concurrere videntur ea quæ *moderamen inculpatæ tutelæ* inducunt. Non enim probatur, quod ipse aliter, quam Mattanum occidendo vitare posset vitæ discrimen. Quo deficiente extremo numquam homicidium censetur necessarium, ut qui illud patraverit, ab irregularitate sit immunis, quemadmodum tradidit Sac. Congregatio in *Parmen. Irregularitatis* 21. *Aprilis* 1777., & *in Abellinen. Dispensationis ab Irregularitate* 21. *Augusti* 1803. Plures tamen causæ conspirare videntur ad impertiendam dispensationem, scilicet: provocatio ab Adversario facta, timor necis, optima vitæ ratio ante commissum homicidium, lenis animus, pæna carceris per quadriennium passa, compositio partis, & Fisci, sexennium fere elapsum a patrato crimine cum emendatione vitæ; atque commendatio Episcopi. Quibus vel universim, vel partim concurrentibus Sac. Congregatio dispensationem concedere consuevit in *Senogallien. Irregularitatis* 18. *Novembris* 1786., & *in Messanen. Irregularitatis* 17. *Julii* 1802.

Dubium proponitur.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

**Non proposita cum sequenti.**

FIR-

*Ses.22. cap.6. de Reform.*

FIRMANA. Innupta Catherina Mariotti tria sorte ducta consequta est subsidia dotalia, quæ puellis matrimonio collocandis distribuuntur, alterum scutorum 18. 50. a Sodalitio Pietatis, alterum scutorum 20. 28. 3. a Sodalitio SSmæ Spinæ, alterum scutorum 10. ab Hospitali B. Mariæ Virginis Humilitatis. Cum nunc inclinata jam ætate matrimonium contrahere non possit, & paupertate laboret, postulat, ut subsidia ejusmodi in statu cælibi eidem solvantur. Emus Archiepiscopus testatur bonos Oratricis mores, ejusque paupertatem: *Auditis tamen* (prosequitur in sua Informatione) *interesse habentibus nempe Confratribus Pietatis, qui dotale subsidium deberet scutorum* 18. 50., *nec non Societatis SS. Spinæ, a qua solvendum est aliud scutorum* 20. 28. 3., *a tali præstatione in statu cælibi abhorrent, cum sit contra leges fundationis. Nam respectu Sodalitii Pietatis, si talia subsidia non solvantur investienda sunt pro augendis fundis talium dotationum, & respective dotium summa, quæ in posterum distribui debent. Quoad vero Societatem SSmæ Spinæ summa in usum Sodalitatis impenditur. Contra vero Officiales Hospitalis infirmorum licet in usum ipsius Hospitalis subsidium dotale scutorum* 10. *converteretur, suum tamen assensum præstiterunt, ut Puellæ inopiæ succurratur, cum nihil inde detrimenti Hospitali oriatur.*

Postulatio sane ab Oratrice facta repugnat legibus fundationis, sive quia subsidia hujusmodi pro maritandis destinata non possent in statu cælibi præstari, sive quia in casu, quo puellæ non nubant aut erogandæ sunt in augumentum fundorum dotationum, aut in commodum ipsarum Societatum. Paupertas Oratricis satis causæ non esse videtur, cur fundationum legibus derogetur, maxime cum interesse habentes repugnent quoad Societatem Pietatis & SS. Spinæ. Secum reputent EE. PP. num indulgendum saltem sit Oratrici quoad subsidium scutorum *decem* ab Hospitali præstandum, cum deputati assensum præbeant, atque putent nihil inde detrimenti venire Hospitali, si hoc subsidium ad sublevandam inopiam Oratricis convertatur. In hoc enim casu, quo subsidium dotale non solutum pertineret ad Hospitale, non derogatur fundationi, si consentientibus

iis, qui Hospitali administrant, idem subsidium innuptæ Oratrici solvitur.

Dubium proponitur.

*An, & quomodo precibus sit annuendum in casu &c.*

*Die Sabbathi 6. Augusti 1808. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

FREQUENTINA IRREGULARITATIS.
*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

*Sess.14.Cap.4. de Reform.*

Affirmativè.

FIRMANA.
*An, & quomodo precibus sit annuendum in casu &c.*

*Sess.22.Cap.6. de Reform.*

Affirmativè pro Subsidio dotali scutorum decem tantum.

NULLIUS SANCTI MARTINI. In Congregatione diei 8. Augusti 1801. quatuor fuere proposita Dubia I. *An, & cui incumbat onus providendi deficientiæ redituum Canonicorum, & Ecclesiæ S. Martini usque ad revivisentiam LL. Montium.* Et quatenus = *Negative in omnibus* = II. *An, & quomodo sit locus suspensioni onerum* = III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum* = IV. *An, & quomodo sit providendum congruæ pro manutentione Parochi durante suspensione LL. Montium in casu &c.* Dubia hujusmodi proposita fuerunt ex officio, cum Princeps ab Auria Colleggiatæ Patronus licet interpellatus, & a Vicario Capitulari

*Sess.21.Cap.3. Sess.24. C..12. de Reform.*



lari

lari ( a quo primum exquisita fuit Informatio *audito in scriptis Patrono* ) & deinde ab Eñio Protectore, rogato pariter de Voto, numquam comparuerit, & quædam tantum vulgari idiomate exarata Folia eidem Eñio exhibuerit, a quo una cum Informatione ad Secretarium transmissa fuere, & eorum summa capita, ut fieri solet retuli *in Folio diei* 8. *Augusti* 1801. §. *Neque*, & *sequen.* Propositis itaque Dubiis in sequenti Congregatione diei 12. Septembris EE. PP. responderunt ad = I. *Incumbere Patrono*, & *ad hunc effectum subministranda ab eo esse scuta viginti singulis Canonicis*, & *unnis reducto ServitioChori ad dies festos de præcepto*,& *ad omnia officia primæ classis*. *Ad* = *II. Quoad servitium Chori provisum in primo*, *quoad onera Missarum teneri Capitulum*, *ad applicationem Missæ conventualis reliquis suspensis. Ad IV. Teneri patronum pro annuis scutis quinquaginta*, & *ad mentem* = Mens est = *Patronum teneri per modum Provisionis donec exigantur fructus LL. Montium*, *quibus etiam in parte perceptis diminuendam esse pro rata provisoriam subministrationem*.

Silentium inde consequutum est neque Capitulum executionem *Resolutionis* postulavit, neque Patronus quidquam Capitulo subministravit. At vacata una Canonicali Præbenda obtulit SSño præces Princeps ab Auria, ut illius nominatio suspenderetur, simulque ut sibi liceret sua jura deducere adversus *Resolutionem anni* 1801. . His precibus referente Eño Præfecto hujus S. Congregationis reseriptum fuit die 16. Junii 1807. = *SSñus remisit preces ad S. Congregationem Concilii cum omnibus facultatibus necessariis*, & *opportunis*, & *cum facultate etiam revidendi Resolutionem ejusdem S. Congregationis diei* 12. *Septembris* 1801. Cum in Congregatione *diei* 7. *Maii proxime præteriti* supplicante Principe ab Auria quæsitum esset = *An* & *quomodo sit concedenda suspensio nominationis* = rescriptum fuit = *Dilata*, & *ad mentem* = Mens est = *Quod præfiniatur terminus duorum mensium Principi ab Auria ad effectum deducendi sua jura contra Resolutionem* 12. *Septembris* 1801., & *interim tempus*, & *tempora non currere*.

De quibus a me certior factus Princeps ab Auria in hacCongregatione *Folia* EE. VV. distribuet, in quibus sua jura deducet adversus I. & IV. dubium resolutum in Congregatione diei 12. Septembris anni 1801., quæ dubia

bia suum respiciunt interesse quoad provisoriam subministrationem Canonicis, & Parocho a Patrono faciendam. Quæ contra Patronum facere possunt ex officio proposui in Folio diei 8. Augusti 1801. ab EE. VV. benigne reassumendo.

Deliberandum itaque erit.

*An sit standum vel recedendum a decisis diei* 12. *Septembris* 1801. quoad I. & IV. *Dubium in casu &c.*

Quoad manutentionem Ecclesiæ, & rerum ad ejus cultum pertinentium, nec non quoad reductionem Servitii chori in decisis, & in reliquis recedendum a decisis.

*Sess*14.*Cap.*19. *de Reform.*

FULGINATEN. Rogatu Capituli Collegiatæ Sanctissimi Salvatoris Civitatis Fulginei Episcopus Ginanni ex Decreto diei 18. Martii anni 1785. in eadem Collegiata erexit *authoritate ordinaria quatuorCanonicatus honorarios cum omnibus, & singulis honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, & quibus uti frui, & potiri consueverunt alii consimiles Canonici Supranumerarii, & cum facultatibus necessariis, & opportunis, & signanter deferendi in choro, & aliis functionibus Ecclesiasticis Bocchettum, & Mozzettam cum Caputio violacei coloris, sub obligatinne tamen Ecclesiæ præfatæ, & choro inserviendi in Stallo assignando saltem in solemnioribus, & in hebdomada magna, & tandem incedendi in solitis Processionibus una cum aliis Canonicis de numero præfatæ Collegiatæ.* Ab eo tempore inolevit Capitulum eligere Canonicos honorarios, qui certis diebus præcipue solemnioribus cum reliquis Canonicis choro intersunt. Rite nec ne facta sit hæc Canonicorum honorariorum erectio hoc est, de quo vos EE. PP. modernus Episcopus consulit. *Licet enim* (inquit in sua Informatione) *CollegiatæS. Salvatoris Constitutiones nihil disponant, nec verbum quidem faciant quoad Canonicos honorarios; nihilominus si erectio de qua agitur legitime facta agnoscatur, nihil ea de re in contrarium dico, sin illigitime,* *quo-*

*quominus EE. VV. authoritate validetur una cum successivis Canonicorum electionibus nequaquam obsisto. Hoc unum velim, ut nempe ejusdem supremo Decreto sanciretur, fas nunquam futurum Ecclesiæ istius Colleggiatæ Canonicis quemquam in Canonicum honorarium in posterum assumere, nisi prius eligendi personam Episcopus probaverit. Hoc quod nimis conveniret & Episcopalis Dignitas, & Diœceseos regimen expostulare certum est, detractatum hucusque fuit, cum identidem novissimis etiam temporibus in Collegiata ista novos ad canonicatus honorem addectos non aliter, nec prius noverim, quam dum Pontificalium, & Supplicationum occasione cum aliis Rochetto, & Mozzetta decorati convenirent. Detrimentum non leve hinc emanare nemo est, qui non videat. Hoc unum tantum notare juvat. Clericos prima tonsura tantum initatos, & in minoribus ordinibus constitutos ad hujusmodi Canonicatus plerumque assumi, & plerumque præpediri Episcopum, quominus illos valeat destinare Cathedralis, & Paræciarum servitio, quo nimis satis indiget.*

Secernendum est duplex Canonicorum *Supranumerariorum* genus. *Supranumerarii* alii sunt instituti sine præbenda, sed cum expectativa; alii, ( quos etiam *honorarios* appellant ) qui ad simplicem honorem sine præbenda, & sine expectativa. Hæc distinctio, quam tradunt *Card. de Luc. Disc.* 37. & *Ceccoper. ad Scarfanton. Lucubrat. Canon. Lib.* 1. *tit.* 14. *num.* 1. conducere videtur ad dirimendam quæstionem, quæ in I. Dubio continetur, utrum scilicet liceat Episcopo consentiente Capitulo Canonicos honorarios facere. Canonicos quidem Supranumerarios facere non potest Episcopus, quia cum habeant adnexam *expectativam*, hæc ab Episcopo concedi non potest ita jubente Decreto Tridentini *in Sess.* 24. *Cap.* 19. *de Reform.*. Quare translatitium est apud Canonistas, quod horum Canonicorum Supranumerariorum genus creari nequeat, nisi a S. Pontifice, cui a Tridentino adempta non est potestas has expectativas concedendi ad tradita per *Gonzalez in Reg.* 8. §. 1. *Proemial. num.* 64. *Fagan. in Cap. Di'ecto num.* 25. *de Præben. Garzia de Benef. part.* 6. *cap.* 1. *num.* 5. *Rigant. in Reg.* 52. *Cancell. n.* 27.

At de Canonicis honorariis, quibus non inest expectativa præ-

præbendæ, ut propterea ab Episcopo creari posse videantur, alia disputant Doctores. Negant enim ullum esse posse Canonicum sine præbenda, aut sine spe futuræ præbendæ, cum canonia, & præbenda adeo conjuncta sint, ut *cui confertur Canonicatus debeat assignari præbenda, si quæ vacat & si non vacat, debet expectari vacatio* ex doctrina *Fagnani in Cap. Cum M. Ferrariensis num.*17. *lib.*1. *Decret. Tit. de Constit.*. Addunt, & illud quod in Capitulis in quibus certus Canonicorum numerus authoritate Apostolica designatus est, augeri non possit ab Episcopo, & Capitulo ut docet *Barbos. de Canon. & Dignitat. cap.* 3. *num.* 2.. Maxime vero cum Canonicos hujusmodi honorarios nil prodessent Ecclesiæ, cum per simplicem assignationem Stalli non teneantur residere, neque ad interessendum compelli possunt, qui non habent distributiones, & præbendas ut observat *Ceccoper. loc. Citat. num.* 9.

Nihilominus teste Fagnano *in Cap. Dilectus num.* 9. *de præben.* inolevit, ut recipiantur Canonici hujusmodi honorarij, qui *in minoribus, & officiis Ecclesiasticis inserviant prioribus, & antiquis Ecclesiæ Canonicis, & Ecclesiæ*, quique revera non augent numerum præbendarum, & semper aliquid servitio Ecclesiæ prosunt. Hos autem admitti posse ab Episcopo, & Capitulo tradunt ex *Text. in Cap. Cum M. Ferrariensis de Constit. Milaz. Assert.*1. *num.* 3. *Ceccoper. loco cit. num.*7. *& seq. Rigant. ad Reg.* 52. *Cancell. num.* 30., & in *Fulginaten.* 26. *Februarii* 1639. proposito dubio = *An Episcopus authoritate ordinaria possit in sua Ecclesia creare canonicos Supernumerarios absque Capituli consensu, & Canonicorum* Sac. Congregatio respondit = *Non posse = Lib. XVI. Decret. pag.* 160. *a terg.* Ex qua resolutione concludunt, quod accedente consensu Capituli possit Episcopus authoritate ordinaria Canonicos hujusmodi creare.

Quatenus porro vobis EE. PP. videatur non posse Episcopum Canonicos honorarios creare, tum in II. Dubio statuendum erit, num sit impeteranda sanatio Decreti Episcopi Fulginatensis Ginanni qui anno 1785. quatuor Canonicos honorarios in Collegiata S. Salvatoris creavit. Cum de potestate Pontificis dubitare esset nefas; tum ejus arbitrium in his extraordinariis admissionibus normam sequitur necessitatis, & utilitatis Ecclesiæ ut

ut observat *Monet. de distribut. quotid. part.2.quæst.1. num. 16. Fermosin. ad Cap. 9. de Constit. quæst. 1. num.40.* . Quæ utilitas, & necessitas cum deficeret Sac. Congregatio negavit consulendum esse SSmo pro admissione Canonici honorarii *in Terracinen. seu Setina 16. Februarii* 1788. Modernus Episcopus non repugnat, quominus validetur Decretum Episcopi Ginanni, & maneant Canonici honorarii id quod demonstrat utiles eosdem haberi pro servitio Collegiatæ. Unum postulat, ut Capitulum eligere nequeat nisi eos, quos ipse approbaverit.

Proponuntur Dubia.

I. *An sit exequendum Decretum Episcopi Ginanni diei* 18. *Martii* 1785. *in casu &c.*

Et quatenus Negative.

II. *An & quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo, qui præfigat terminum unius mensis Capitulo ad deducendum sua jura in Sac. Congregatione.

*Sess.25. cap.9. de Reform.*

ÆSINA PERMUTATIONIS Sacra ædicula Divo Blasio nuncupata in in Oppido Majolati pertinet ad patrnatum familiarum Mancia. Vetustate jam fatiscens & terremotu labefactata in eo erat statu ut clar. mem. Cardinalis de Pretis Episcopus Æsinus onera Missarum, quæ in ea Ecclesia a Patronis Mancia erant implenda transtulerit ad altare majus ( cujus patronatu fruuntur æque familiæ Mancia ) proximæ Ecclesiæ S. Annæ, quæ filialis est Ecclesiæ Parrochialis. Sed mense Decembri anni 1806. luctantes per turbinem venti excusserunt Turrim Campanariam Ecclesiæ S. Blasii, quæ supra ipsam concidens Ecclesiam, tectum præcipitem dejecit, & muros quassit. Factum hinc est, ut necesse sit Ecclesiam illam S. Blasii a fundamentis excitare, cum restaurari nullo modo possit, atque pro hac reædificatione neces-

cessaria sit ex judicio Peritorum expensa scutorum 189. 15. Quam expensam cum ferre non possint Familiæ Mancia ægerunt cum Parocho Majolati de permutatione ineunda scilicet, ut Familiæ Mancia dent Parocho cæmenta & solum ruinosæ ædiculæ S. Blasii, quæ omnia a Perito æstimata fuere scuta 42. 76., necnon adnexam domunculam valoris scutorum 45. 43., quæ cum gravetur onere Missarum *quatuordecim* in annos singulos, onus in se suscipiet Franciscus Mancia ex Patronis alter, Missarumque celebrationem suo sumptu curaturum promittit. Parochus vero abdicare & cedere debet omnia jura, reservatis tamen parrochialibus, quæ habet super Ecclesia S. Annæ, ita ut hæc in patronatum familiarum Mancia transeat. Ut rite hæc fieri, & stipulari possint, veniam Apostolicam implorant Familiæ Mancia. Episcopus Æsinus exposita confirmans testatur præterea familias Mancia impares esse, quæ sumptus reædificationis Ecclesiæ S. Annæ faciant: Ex demolatione nullum incomodum Populo obvenire: inter Parochum & Familias Mancia Altaris principis Patronus anno 1785. judiciales fuisse controversias, quarum nulla in præsens est. Cæterum Episcopus affirmat, hanc permutationem in evidentem cedere Paræciæ utilitatem, quia Paræcia ad manutentionem Ecclesiæ S. Annæ, annuis scutis 2.50.impensa tenetur,quibus non solum libera prorsus erit, sed e contra aream, *cementa Ecclesiæ S. Blasii, annexamque domum aquiret*.

Permutatio, quæ facienda proponitur, sapit alienationem, propterea que cadit sub censura *Extravagantis Ambitiosæ*,ut tradit *Card. deLuca de alienat. disc.*16. *n.*7.*Card. Petra inComment. adConstit. Apostolic.Tom.*1. *pag.*157. *num.*18. & S. Congregatio *in Feretrana Permutationis* 30. *Martii* 1805. Verum in proposita specie cum in permutationem veniat ipsa Ecclesia S. Annæ non tam de utilitate permutationis quærendum est, quam num jure fieri permutatio possit. Etenim Parochus cedit jura, quæ habet supraEcclesiam,parrochialibus exceptis atque ipsamEcclesiam. Hæc vero omnia habent *Spiritualitatem* adnexam ut proinde in commercio esse non possint, nec procul a simonia permutari, quemadmodum juspatronatus certo convento pretio vendi non potest, ceu passim definivit S. Congregatio, & præcipue *in Firmana* 29. *Martii* 1806. Neque ad rem faceret, quod Ecclesia S. Annæ

eum altera S. Blasii permutatur, ita ut nullum intercedat prætium, quod simoniaca labe permutationem coinquinet. Non enim Ecclesia S. Blasii permutatur cum altera S. Annæ, sed illius cæmenta, & area una cum domo adnexa pretio æstimata cum hac permutatur, ut propterea si non verbis, re tamen ipsa pretium interveniat.

Verum nulla inficitur Simonia permutatio, quæ ut licite iniri queat Apostolica postulatur venia. Inquirendum potius erit an justæ concurrant causæ, ut permutatio cum pactis conditionibus probetur. Ob inopiam qua Gens Mancia restaurare nequit Ecclesiam, seu Ædiculam S. Blasii, dolet orbari Jurepatronatus, quo fruitur, atque omnino in eo est, ut aliud quod jam exercet Juspatronatus in Majori Altare Ecclesiæ S. Annæ in totam Ecclesiam consequatur, annuente Parrocho Patrono. Cum vero Parochus ipse nequeat Jura Ecclesiæ alteri cedere, nisi constito de utilitate Ecclesiæ, hinc prono alveo fluit, ut aliquid excepta pecunia consequi debeat. Permutationem Parocho utilem affirmat Episcopus quippe quia liberatur ab onere menutentionis Ecclesiæ S. Annæ, & aquirit aream & cæmenta Ecclesiæ S. Blasii necnon Domunculam quæ in totum æstimantur scuta 88.19.. Omnis ditimitur infuturum per hanc permutationem veterum quæstionum occasio. Nullum demum Populi commodo, & divino cultui damnum obvenire potest, teste Episcopo, cum jam pluribus ab hinc annis Ædicula labefactata, clausa, atque deserta maneret. Non injustæ itaque, & potius necessariæ videntur conditiones, quibus proposita permutatio innititur. Quatenus vero hæc Votis EE. PP. probanda videatur, alia mihi superesse videntur vestra consideratione digna quoad modum.

Nam demolitio Ecclesiæ S. Blasii permittenda quidem est cum adeo in ruinam ruat, ut restaurari non possit, sed omnino reædificari debeat. Impensæ autem in scutis 189. ex judicio Peritorum omnino necessariæ sunt, quas Patroni subire nequeunt, & cum alia non suppetant media, cum populo nullum afferat incomodum permittenda est demolitio, ut iisdem concurrentibus circumstantiis statuit S. Congregatio in *Nullius, seù S Laurentii in Campo Demolitionis Oratorii, & Translationis Onerum* 19. *Julii* 1802. Ita autem permittenda erit de-

demolitio, ut saltem Icon S. Titularis Ecclesiæ demoliendæ apponatur in aliquo Sacello Ecclesiæ S. Annæ, & transferantur onera, ut *in Patavina* 11. *Julii* 1801. & *in Fanen. Demolitionis Ecclesiæ* 16. *Augusti* 1806. Translatio onerum ad tempus ob ruinam Ecclesiæ S. Blasii jam facta est ex Decreto cl. mem. Card. De Pretis Episcopi Æsini, nunc vero perpetuo facienda erit.
Sed inutiliter translactio fiet onerum, nisi de eorum implemento caveatur. Domunculam quæ hucusque fundus fuit Missarum Oratores Mancia cessuri sunt in proprietatem Paræciæ, & unus Franciscus Mancia se sumpturum spondet onus annuæ celebrationis 14. Missarum. Cum ille ex illis sit, qui ob inopiam dispensari postulant ab onere restaurandi Ecclesiam S. Blasii, pro qua impensa requiritur scutorum 189., non satis forsan futuris emptoribus provisum videbitur, nisi subrogato idoneo fundo libero, & immuni ab omni alio onere, & hypotheca.
Dubium proponitur.
*An, & quomodo sit probanda permutatio ita ut sit concedendum Beneplacitum in casu &c.*

Affirmative translatis oneribus ad Ecclesiam S. Annæ, & apposita Icone S. Blasii in aliquo ejus Sacello, dummodo tamen valor cæmentorum, & soli Ecclesiæ demoliendæ investiatur cum solitis clausolis, & cedat una cum domuncula favore Paræciæ, & per Franciscum Mancia assignetur idoneus fundus ab Episcopo approbandus pro implemento quatuordecim Missarum facto verbo cum SSmo.

*Sess.24.Cap.15 de Reform.*

CIVITATIS CASTELLANÆ REDUCTIONIS SERVITII CHORI. Præcipuum, inter cætera, monumentum pietatis quod in Feudo *Vineanelli* reliquit Princeps Franciscus Maria Ruspoli est insignis Collegiata, quam erexit anno 1725., constans ex duabus Dignitatibus Abbate, & Primicerio, decem Canonicis, & quatuor Beneficiatis, qui servitium chori quotidianum præstant, & ad patronatum pertinent inclitæ gentis Ruspoli. Pro fundo habent Loca Montium *S. Petri primæ erectionis* 160., & 93. *centesimis*, & præterea ex Livellis, & pensionibus domorum annua scuta 84. 83., quæ nunc tantum Capitulo supersunt, cum cessatum sit a solutio-

stione fructuum Locorum Montium . Detractis porro stipendio pro Sacrista in scutis annuis *sex* , & Organistæ in scutis 32. , ac vectigalia , aliaque onera , percipiunt singuli annua scuta *tria* . Quare postulat Capitulum reductionem servitii chori ad dies festos tantum de precepto . Rogatus Episcopus de sua Sententia , simulque, ut *audito Capitulo* proponeret *media supplendi* Capitulum in habitu consensu tria proponit , scilicet applicationem , vel redituum , quæ Hyerosolimitana Religio percipit pro tertia parte , fructuum ex pluribus fundis in agro *Vincanelli* , vel redituum parvi Conventus , quod in eodem Oppido pertinet ad PP. Minores Conventuales , vel *dativæ realis* , quæ a Communitate rependitur . Cum tamen hæc media rite censeat Episcopus plurimis esse obnoxia difficultatibus, ac ferme insuperabilibus , hinc proponit *Oratorum precibus esse annuendum ad tempus indefinitum quandoquidem Ecclesiæ cultui , & Populi commodo parum vel etiam nullum præjudicium infertur* .

Diminutis redditibus , si alia non suppetant media , Sacra Congregatio reductionem Servitii Chori concedere solet ut ceteris omissis in *Bituntina Servitii Chori* 27. *Septembris* 1770. *in Civitatis Castellanæ* 10. *Decembris* 1806. Hæc duo sane in præsenti re concurrere videntur . Nam cessata solutione fructuum Locorum Montium ammisit Capitulum præcipuos reditus . Et quamquam sperandum sit futurum , ut saltem duplex quinta pars fructuum Locorum Montium exigantur ; attamen cum pro tribus partibus suspensa sit solutio fructuum Locorum Montium , eadem ratione pro tribus partibus fructus Præbendarum decrevere . Sane reductio serviti chori non auget Capitularium reditus ; sed habenda est ratio laboris & emolumenti , ut ex æquitate servitium reducatur . Media autem supplendi , quæ proponit Capitulum opportuna non sunt , qua de re si vobis EE. PP. videatur reductionem concedere , tum adiiciendæ videntur conditiones , quæ semper a Sacra Congregatione præscribi solent ut scilicet = *Capitulares omnes tempore Adventus , Quadragesimæ omnibus diebus festis & Solemnioribus Nativitatis Resurectionis D. N. J. C. & Sanctissimi Corporis Christi , & per totam Octavam ejusdem , ac aliis temporibus ordinario beneuisis interesse teneantur*.

*tur* quemadmodum statutum fuit in *Terraconen.* 18. *Februarii 1764.*

Dubium proponitur.

*An, & quomodo sit concedenda reductio servitii chori in casu &c.*

Affirmative reducto Servitio chori ad formam Terracinen. 18. Februarii 1764. donec augeantur redditus.

FIRMANA IRREGULARITATIS Sacrilegum furtum Calicis argentei cum patena, & Pixidis patratum fuit anno 1801. damno Sodalitii Sanctissimi Sacramenti Oppidi Montis Giberti. Suspicio maleficii cecidit super Aloysio Pinello multis præjudiciis jam noto. De cujus hominis carceratione sollicitus fuit Præsbiter Aloysius Rinaldi, qui rem sodalitii curabat. At Pinellius in carcerem detrusus indicare promisit criminis aucthores, & socios, si ipse a pæna impunis abiret. Qua impunitate obtenta accusavit Præsbiterum Rinaldi qua complicem furti, atque illius accusatio duobus testibus Fiscalibus confirmata est. Qua ex re Præsbiter Rinaldi in vinculis conjectas nihil ei profuit testes suæ probitatis, atque accusantium pessimæ famæ producere, quin a S. Consulta damnaretur ergastulo ad septennium, quam pænam omnino luit. Sed mulier quædam Theresia Amici, cui explorati erant authores furti, cum ei mors instaret, fassa est Præsbiterum Rinaldi falso imputati criminis fuisse postulatum. Absoluta nunc pæna implorat Præsbiter Rinaldi dispensationem ab irregularitate ob imfamiam contracta, eique suffragatur Eminentissimus Archiepiscopus in Sua Informatione in qua exposita narratur, & præterea affirmat *ex concedenda rehabilitatione non modo nullum scandalum inde oriri, sed a bonis ipsis expectari aliquam Oratoris famæ compensationem, qui insuper cum vix liber evasit ultro Sacris exercitiis in religiosa Domo stricte observantiæ per dies quindecim exemplariter vacavit.*

*Sess.14.Cap.7. De Reform.*

Ex

Ex infamia juris, quæ oritur ex sententia condemnatoria ut *ex Tex. in* §. 1. *Instit. de pub. judic. L. Infamem ff. eodem* contrahitur irregularitas quemadmodum patet ex *Tex. in Can. Qui aliquo crimine* 4. *Distin* 51. *Can. Infamem*. 17. *Caus.* 6. *Quæst.* 1. *Reinfestuell. Lib.* 3. *Decret. tit.* 37. *n.* 59. S. Congr. in *Nullius Montis Virginis Irregularitatis* 5. *Aprilis* 1788. Dum igitur Præsbiter Rinaldi damnatus fuit a S. Consulta & pænam subivit, irregularitatem contraxisse videtur. Sed quoniam de ejus innocentia dubitari potest post depositionem Theresiæ Rinaldi, & pænam ergustuli omnino impleverit, Sacris exercitiis sponte operam dederit, nec sit apud bonos diffamatus, sane dispensationem eidem concedenda videtur, quam alias iisdem concurrentibus circumstantiis concessit S. Congregatio in *Lucen. Dipensationis ab Irregularitate* 19. *Decembris* 1789.

Quæritur ergo.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Affirmative.

*Sess. 24. Cap. 12. de Reform.*

TUSCANEN. JUBILATIONIS Annis gravis *septuaginta*, ex quibus *quinquaginta sex* consumpsit in servitio Basilicæ Sanctæ Mariæ in Pantheon sita extra mænia Civitatis Tuscaniæ, Canonicus Marcus Antonius Giannotti postulat jubilationem. Capitulum acriter obsistit, Episcopus instantiæ favet. Quæ utrinque afferuntur EE. VV. exponam.

Tria affert Capitulum, ne jubilatio concedatur, licet non diffiteatur *che l' Oratore ha lodevolmente, e diligentemente prestato il suo servizio alla detta Basilica per il lungo tratto di anni cinquanta sei, sebene quattro di essi è stato assente causa studiorum*. Nihilominus primum obiicit Capitulum, quod hoc quinquagenarium tempus ita calculari debeat, ut computandi sint dies tantum servitii ad effectum obtinendi indultum jubilationis. Quare cum servitium non sit continuum, sed diebus festis, & quibusdam aliis communibus, sequitur,

ut

ut dies servitii vix ad sex Mensium cursum singulis annis pertingunt, ideoque Canonici Giannotti Servitium etsi protractum ad sex supra quinquaginta annos, non ultra spatium duo de triginta annorum conficiat. Sed novaprofecto esset hæc ratio calculandi quadragenarium servitium, & merito Episcopus observat, *quod hac enumeratione admissa impossibile prorsus inservientibus dictæ Ecclesiæ jubilationis indultum videretur, nisi prædictum servitium huic Ecclesiæ annorum octoginta præbuissent*. Secundo opponit Capitulum contrariam observantiam, ut neque in Cathedrali, neque in Collegiata ullum sit exemplum concessæ jubilationis. Atque in hoc aperte sibi contradicit, dum fatetur, quod recentioribus temporibus duo sint in Ecclesia Cathedrali, qui jubilationem consequti sunt. Nam ut contraria observantia staret, demostrandum esset; quod ii qui jubilationem postularunt expleto quadragenario servitio, rejecti fuerint non ex defectu continui, & laudabilis servitii, sed ex eo, quod contrarius usus inolevit: Id quod certe non evincit exemplum Canonici Pochini, cui idcirco denegatam fuisse affirmat Episcopus jubilationem, quia *celebris ipse erat venator, ita ut quasi plus erant ejus deficientiæ, quam ecclesiæ servitia*.

Tandem Capitulum reiiciendam esse putat jubilationem quia vergit in præjudicium servitii choralis, & aliorum Canonicorum. Nam *undecim* sunt ,qui choro inserviunt,atque ex his duo absunt studiorum causa, alter informitate impeditus præstare servitium non potest. Quo fit ut Capitulum cogatur advocare extraneos a gremio Sacerdotes, ut S. functiones decentius perficiantur. Hinc si indultum jubilationis concederetur carerent altero individuo, & onus, quod huic incumbit celebrandi Missas conventuales, in cæteros reincideret. Verum cum servitium festis,aliisque communibus diebus præstetur, parum nocet servitio chori unius absentia. Nam S. Congregatio aliquando concessit indultum jubilationis, etsi tempore Missæ Solemnis vel tres dumtaxat in Choro haberi possent Canonici ut in *Ripana jubilationis* 29. *Novembris* 1701. *Lib.* 60. *Decret*, vel septem (quanti scilicet in presenti casu essent) ut in *Brictinorien jubilationis* 12. *Maii* 1792.

Episcopus vero censet animadvertendum quod *absentia unius*

*unius Canonici & unius Beneficiati ratione studiorum ; infirmitas alterius, unius Canonici provecta ætas , aliorum absentia . quæ accidere potest , præjudicium afferre non posse juri ab Oratore aquisito . Multo minus quæ ait Capitulum de Missa conventuali . Nam cum sit onus Canonicatui in certo numero Missarum adnexo, salvum semper remanet aliorum Capitularium interesse, quia saltem earum emolumentum solvere jubilatus tenetur* . Sed cum Missa conventualis sit pars divini officii cui interesse non debet jubilatus ; sequitur ut per obtentum indultum immunis fiat etiam a missa conventuali , neque ejus eleemosinam præstare debeat ut statuit S. Congregatio *in Senen. Celebrationis , & Applicationis Missæ Conventualis* 12. *Maij* 1759.

Dubium proponitur .

*An* , & *quomodo sit locus jubilationi in casu &c.*

Non proposita cum sequenti .

*Ses.24. cap.12. de Reform.*

NULLIUS SUBLACEN. Adeo obesus est Sacerdos Benignus Pistoja Mansionarius Collegiatæ Ecclesiæ Sublaci, ut Medicus juratus affirmat = *non li è compatibile poter star lungo tempo in piedi non solo , ma neppure puole attendere ad officio veruno , che ammetta lungo tratto di tempo* . Tum igitur ex hoc vitio corporis tum ex gravi sexaginta annorum ætate postulat ut eximatur a servitio Ecclesiæ tum quoad Divina officia , tum quoad publicas supplicationes, aliasque Sacras functiones . Emus Abbas testatur ita Oratorem pinguedine laborare ut *monstri simile videatur* . Verum refert Capitulum animadvertere , ex quatuor Mansionariis duos frui exemptione a choro ex indulto causa studiorum , quibus in Seminario vacant , tertium vero docere gramaticam in eodem Seminario ; Quare si omnino eximeretur Orator , Servitium chori maximum detrimentum passurum foret . Sed quanti hæc facienda sint patet ex eo quod in Collegiata S. Andreæ Festis tantum diebus Divina Officia, & ne quidem integra peraguntur , itaut Mansionarii qui in Seminario sunt sive ad discendum sive ad docendum perraro interesse impediantur , exceptis Adventus, & Qua-

& Quadragesimæ temporibus, quibus pariter aliquod Servitium Ecclesiæ Canonici & Mansionarii præstare tenentur. *Ut igitur* (ita prosequitur Emus Abbas in sua Informatione) *quam fieri potest minimum de chori servitio detrahatur, ac ea tamen, quæ debet, infirmæ valetudinis habeatur ratio, ita rem componi, censerem posse, ut a choro quidem Orator minime eximatur, præterquam si actu morbo laboret aliquo, verum potestas ipsi fiat sedendi, quotiescumque ei pedes stare sine incomodo nequeant. Id autem eo facilius concedi posse arbitror, quod ejus propria sedes longius e conspectu populi semota in extrema chori parte sita sit prope solium Emi Abbatis, ut adeo offensioni esse intuentibus minime possit. Quoad publicas vero supplicationes, quæ Sublaci, vel extra muros procedendo indentidem fiunt, assentitur Capitulum, idque mihi videtur necessarium concedi oportere; ut quoties procedendum sit vel extra Sublacum, vel intra quidem, sed per vias minime planas, abesse impune Oratori liceat, non autem si vel procedendum, vel alia S. Functio obeunda sit in Ecclesia, vel non longe ab ipsa, neque per asperas vias. Eamdem ob causam adderem non esse punctandum, quoties descendendum sit ad inferius Oratorium SSmi Crucifixi, id quod nonnisi per multos gradus difficilis infirmo homini descensus est.*

Ob infirmam valetudinem conceditur indultum absentiæ ita ut infirmus præsens habeatur & percipiat distributiones, ac si præsens esset ut ex *Tex. In Cap. Cum percussio de Cleric. egrotan.* Sed infirmitas talis esse debet ut aut omnino infirmus nequeat, aut non sine periculo ad Ecclesiam accedere queat ut Sac. Congregatio in *Hyeracen. Dispensationis* 29. *Augusti* 1761. Profecto Orator laborat pinguedine pene monstruosa, sed non impeditur, quominus ad Ecclesiam accedat, sed tantum stare pedibus, ut constat ex testimonio Medici. Contendunt Canonici quod ejusdem exemptio afferret detrimentum Servitio chori, hinc statuendum erit num probandæ sint conditiones, quas proponit Emus Abbas, scilicet, ut Orator ita choro interesse debeat, ut, quoties sine incommodo pedibus stare non valeat, sedere possit; & dispensetur a supplicationibus, quæ fiunt extra Oppidum, vel intra per asperas vias, & a functionibus in subjecto Oratorio peragendis. Assertum Chori damnum metiendum est

ex defectu vocis unius Senis ad sustentandum Chori concentum, nil enim ultra præstare poterit præsens Mansionarius Pistoja. Pensandum videtur inter hoc malum, & propositum inusitatum remedium. Ritui & Chori uniformitati parum conveniens, quod sit præferendum.

Quo demum ad tempus indulti subdit Emus. Ordinarius quod in sene atque habitu infirmo homine, nullis limitibus circumscribi possit. Cum vero in more sit infirmis temporanea tantum indulta concedere, aliqua semper manente spe melioris valetudinis, nil obstat quin ad aliquod præfinitum tempus concedatur, quo expirato, & iisdem perseverantibus necessitatis causis prorogetur.

Dubium proponitur.

*An & quomodo, & ad quod tempus sit concedendum indultum causa Infirmatis in casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 17. Septembris 1808. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

TUSCANEN. JUBILATIONIS.

*An, & quomodo sit locus jubilationi in casu &c.*

*Sess. 24. Cap. 12 de Reform.*

Affirmative.

NULLIUS SUBLACEN.

*An, & quomodo, & ad quod tempus sit concedendum indultum ex causa infirmitatis in casu &c.*

*Sess. 24. cap. 12 de Reform.*

Affirmative juxta votum Emi Abbatis.

ROMANA MATRIMONII. Marchio Aloysius Costaguti, & Marchionissa Julia Massimo placito utrinque amore nuptias contraxerunt *die* 30. *Septembris* 1804., neque abhinc ad *annum* 1807. ulla erupit querela vel de non sequta *consumatione*, vel de viri *impotentia*. Sed post annos duos, & sex menses, mense scilicet Aprili anni 1807., cum discordia domestica exasperasset conjugum animos, & Marchio Aloysius communem thalamum reliquisset, tum Marchionissa Julia die 17. Apri-

*Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

lis *Epistolium* ei misit, in quo memorans causas discordiarum viro suo exprobrat, *che la nostra unione giammai consumata è poi la vera sorgente delle mie pene*, id quod Marchio Aloysius in *Epistolio* responsionis etiam, atque etiam negavit. Hæc non latuere nobiles utriusque Conjugis Consanguineos, qui, ut horum dissidia componerent, maxime curarunt. Quare Marchionissa Julia deliberatum adiit R. P. D. Vicesgerentem, quid sibi esset agendum, cum vir impotentia laboraret. A quo cum responsum accepisset, ut probe exploratam viri inertiam ante haberet, quam juris remediis uteretur, maluit viro suo reconciliari, ea conditione, ut priusquam ad thalamum rediret Vir corpus suum inspiciendum ostenderet Chirurgo *Celoni*, qui revera hanc inspectionem fecit, eoque audito Marchionissa Julia ineunte mense Majo thorum maritale cum viro conscendit, tradita tamen die 4. ejusdem Mensis *Maii* sua manu subscripta protestatione R. P. D. Vices-gerenti, qua profitebatur velle se habere loco *triennalis condormitionis* tempus illud omne, a quo cum viro cohabitaverat, atque in posterum esset permansura.

Diu tamen non stetit inter Conjuges pax, & communis thalamus. Nam *die* 3. *Sequentis Julii* mulier conditionem viro obtulit, nempe, se domi specie tenus matrimoni mansuram, ne judicium super dissolutione matrimonii proponeret, dummodo ipse separationi thori assentiretur. Quam conditionem, cum vir omnino recusasset, tum Marchionissa Julia *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO* exposuit numquam consumatum fuisse matrimonium attenta viri impotentia, atque idcirco *senza essere obligata a fare un lungo giudizio sulla nullità del matrimonio, e discutere la prima istanza avanti il Tribunale del Vicario supplica umilmente la somma Clemenza della S. V. a volerla sollevare dalle angustie in cui si trova, rimettendo ad una Congregazione composta di tre Cardinali la cognizione soltanto del Dubbio, se sia luogo alla dispenza del Matrimonio rato, e non consumato*. Has preces dimisit *SANCTISSIMUS* Rescripto ex Audientia *diei* 29. *Junii* 1807. referente me lato = *Causam, de qua in precibus, benigne remisit Congregationi particulari compositæ ex EE. Pacca; Carandini, & Consalvi, & me infrascripto Secretario, quæ procedat prout de jure, & prævia confectione Proces-*

*ces-*

*cessus super Canonicis causis nullitatis, & dispensationis servata in omnibus forma Constitutionis S. M. Benedicti XIV. Dei Miseratione.* Sed instante Marchione Aloysio Costaguti alii tres EE. PP. *Rovarella*, *della Porta*, & *Castiglioni* præcedentibus adiuncti fuere ex alio Rescripto *diei* 12. *Augusti* 1807. Tandem ad S. hanc Congregationem Concilii remissionem causæ ex tertio Rescripto *diei* 19. *Augusti* Marchionissa Julia exoravit.

Descriptus est *PROCESSUS* me præsente, & Defensore Matrimoni ex Officio, in eoque hæc precipua sunt.

*EXAMEN UTRIUSQUE CONJUGIS*, quo quidem in examine mulier juravit = *Il mio matrimonio non è stato mai consumato per mancanza della necessaria erezzione nella parte virile di mio marito*. Contra vir juratus affirmavit = *che il matrimonio era consumato, e l'erezzione l'avevo sempre* = *che sino alla quaresima di questo anno* ( anni scilicet 1807. ) *abbiamo sempre continuato a fare gl'atti conjugali con frequenza, richiesti sempre dalla Consorte, e questi sempre con la necessaria erezzione in me, e credo sempre, che il seme abbia penetrato nel vaso, e la mia Consorte mostrava gran piacere &c.*

*SEPTIMA MANUS CONSANGUINEORUM*, qui ex utraque parte inducti jurarunt putare se Conjuges vera in examine dixisse.

*TESTES* utrinque producti, ut probarent Conjuges, quæ affirmabant vel negabant sive respectu ad consumationem, & potentiam, sive respectu ad domesticas discordius, ut inde derivarent conjecturas pro, contraque sequtam consumationem, & potentiam.

*RECOGNITIONES CORPORIS* unius, alteriusque Conjugis. Præsente nobili matrona, & adhibito tepente balneo facta est inspectio Juliæ a tribus obstetricibus. *Margarita Jelmoni* affirmat *attesa la ristrettezza, ed il colore naturale giudico, che è vergine e non è stata penetrata da membro virile &c. Non ho veduto alcun indizio di deflorazione, e molto meno alcun segno di laeerazione nelle parti verginali &c., e neppure dubito che abbia sofferto alcuna parziale introduzzione del membro virile, aggiungendo, che il velo verginale chiamato Imene nelle sudette parti non l'ho veduto, e non vi era, ma quella mancanza niente conchiude per escluder la verginità.* Alia porro obstetrix *Elisabeth Delci* aeque

æque ac prima judicat attenta arctitudine, & colore; *che la Signora Marchesa non è stata penetrata da membro virile, e tuttora è vergine . . . . Non ho trovato alcun indizio, per cui credere che sia stata neppure in parte penetrata, e benchè in molte vergini non si ritrovi l' Imene nella Signora Marchese Giulia se ne vede qualche indizio*. Tertia obstetrix *Maria Guerrini* conspirat cum reliquis. Nam facto periculo arctam invenit Marchionissam Juliam, unde putat, *che sia ancor vergine, e mai penetrata da membro virile . . . Non ho troto altro segno di defilorazione, se non se la lacerazione dell'Imene, e non recente, ma questo non è un segno certo della deflorazione, o sia lesa verginità, e questo può esser anche accaduto per una parziale introduzione del membro virile*. Periti vero Chirurghi *De Rossi*, & *Savetti* tum ex his, quæ Obstetrices retulerunt, tum etiam ex propria inspectione suum dedere Judicium. Dum enim in actu recognitionis Obstetrices interrogationibus subiiciebam, Periti illi me inscio, & injussi accesserunt contra morem ad cubiculum, quo manebat Marchionissa Julia, ejusque corpus inspexerunt. Ausos id esse quamquam indignarer, attamen factum infectum esse non poterat, idcirco assentiente Marchionissa eorum relationes in *processu* descripsi. Periti ergo illi eamdem virginem judicarunt, licet *De Rossi* quoad *Himenem* affirmat *non ho trovata la sua esistenza, nè la sua lacerazione, mancanza solita ad osservarsi anche nelle vergini, e che non costituisce nessuna prova contro la deflorazione*; & addat *Savettus* = *relativamente all'imene ho trovato questo mancante, e soltanto delle leggiere inuguaglianze nell' orificio della vagina, il che non altera niente lo stato della pronunciata verginità*.

Corpus Marchionis Aloysii inspexerunt Periti medici *Mora* & *Belli*, & iidem Chierurgi *De Rossi*, & *Savetti*. Omnes negant adhibitis licet remediis se in eo vidisse viripotentiæ signa. Sed Medicus *Mora* eumdem judicat *arci chè potente*, & rursus *che debba avere l' attività di seminare anche nel vaso naturale muliebre*, atque hoc judicium derivat ex optima conformatione partium, *e per l' assertive del Sig. Marchese, che egli ha l' erezzioni permanenti, e delle polluzioni notturne in seguela di durevoli erezzioni*. Parimodo Phisicus *Belli* affirmat

mat = *che dalla struttura del temperamento. ed ispezzione generale del corpo si può con fondamento congetturare che sia potente, ed abile alla consumazione del matrimonio*. A judicio medicorum dissident chirurgi. *De Rossi* siquidem *dal temperamento pituitoso, dal suo abito di corpo pingue indizio di una certa floccidezza nelle fibre, dal color pallido del glande, ed avendo osservato lo scroto non corrugato, ma alquanto rilassato posso congietturare che i nervi, che si portano a queste parti, come anche li muscoli erettori abbiano un grado di debolezza, e perciò si possa sospettare che difficile possa esser al sudetto la consumazione*; Addit tamen = *che non si puol giudicare, che vi sia nel Sig. Marchese un impotenza assoluta contratta dalla nascita, ma piu tosto accidentale*, neque, *che l' impotenza sia immedicabile, ed invincibile*. Tandem *Savettus* censet, *che dagl'esperimenti fatti debba supporsi nell' uomo il difetto, e questo da altro non potersi ripetere se non che o da una causa morale, che potrà indagarsi dall' esplorazione degl' animi, o da una causa fisica non apparente cioè da un inerzia, o paralisi imperfetta nei muscoli erettori del sudetto pene = e che il Sig. Marchese non possa esser abile alla consumazione del matrimonio*. Immo addit = *in questo stato attuale non lo crederei capace neppure di una deflorata*. Nihilominus subjungit, *questo giudizio peraltro non lo posso sostenere con certezza, ma lo dò per incerto dubbioso, ed equivoco*. Putat vero hanc paralisim non esse absolutam, sed *la credo accidentale sopravenuta, e non essendo in uno stato di perfetta paralisi potrebbe sperarsi, che il Sig. Marchese mediante una cura potesse vincere il difetto di cui si parla* =

Confecto *Processu* Defensor Marchionissæ Juliæ egit apud me pro *concordatione* Dubii *super dispensatione*; Sed Defensor Matrimonii ex officio instetit, ut alterum quoque Dubium super *Nullitate* disceptaretur. Repugnavit Defensor Marchionissæ, eique suffragabatur Patronus Marchionis Aloysii. Negabant isti disputationem fieri oportere de *nullitate*, propterea quod Marchionissa a S. Pontifice exoravit, ut, omisso judicio ordinario super *nullitate*, liceret sibi de *dispensatione* quærere, neque a se, neque a viro in discrimen *vali-*

*di-*

*ditas* matrimonii revocabatur. Contra hæc Defensor ex officio opponebat, Rescriptum Pontificium, quod stabat loco Commissionis, in eoque præscribebatur, ut S. Congregatio procederet *prout de jure*, *& prævia confectione Processus super canonicis causis nullitatis*, *& dispensationis*. Quare contendebat disputandum esse dubium super *nullitate*, licet mulier pro sola dispensatione preces obtulisset, quemadmodum ab hac Sac. Congregatione statutum fuit *in Barchinonen. super concordatione Dubiorum* relata per *Memoriale* in Congregatione *diei* 26. *Aprilis* 1806. Et quamquam in hoc exemplo Vir postulasset disputationem Dubii super *nullitate*, attamen Defensor ex officio contendebat, posse se pro suo munere postulare ha c ipsam *concordationem*, cui a Constitutione Benedictina *Dei Miseratione* datum est *ea omnia deducere*, *quæ ad matrimonium sustinendum necessaria censebit*. Hoc exemplo motus censui non posse me reiicere Dubium super *nullitate*, sed paratus eram facere potestatem Defensori Marchionissæ, ut in S. Congregatione jure suo experiretur, qua potestate uti ipsa noluit, ne tempus absumeret, & definitionem causæ prorogaret, & tulit potius, ut Dubium super *nullitate* una cum altero super dispensatione proponeretur.

Impressam Allegationem EE. PP. distribuit Marchionissa Julia, & suas *Animadversiones* Defensor ex Officio. Marchio vero Costaguti, quamquam initio acriter petitæ a muliere dispensationi obsistere visus esset; attamen nunc ab omni contradictione cessat; immo die 7. Julii 1808. juratam *declarationem* subscripsit, & ad acta detulit in qua sponte, *e per puro*, *e mero scrupolo di coscienza* declarat *di non aver mai penetrato il vaso muliebre di detta Signora Marchesa Giulia non ostante*, *che la medesima Signora siasi prestata all'atto conjugale*, *con essersi la massima parte delle volte posta in quelle positure*, *che io richiedevi* = Rursus declarat = *che quantunque negl' atti conjugali tentati con la Signora Marchesa Giulia &c. abbia sparso il mio seme*, *è ciò sempre accaduto fra le grandi labbra della natura*, *e fuori del vaso muliebre*. Causam porro affert, cur in examine aliter multo rem evenisse narravit. *Siccome in realtà nell' atto dell' esame dubitavo della seguita consuma-*

*sumazione, perciò quando fui interrogato, se era stato consumato il matrimonio, nell' agitazione in cui ero non detti luogo ad una matura riflessione, e mi contenni in termini dubbiosi, e più tosto di presunzioni, e congetture, che di verità, e di fatto mio certo, ed indubitato*. Ex his omnibus concludit *non ricuso pertanto che detta Signora Marchesa Giulia possa domandare al S. Padre la dispensa del matrimonio rato, e non consumato, alla quale presto io ancora qualunque necessario, ed opportuno consenso*.

I. DUBIUM continet ( nam attingam summas earum rerum, quæ a Marchionissa Julia deducuntur, quæque Defensor ex officio contra animadvertit ) quæstionem de nullitate matrimonii ex impotentia Viri, quæ debet esse, & ante matrimonium contracta *Can. ff. qui can.* 32. *quæst.* 7. & omnino invincibilis, & undique probata ut matrimonium irritare possit *Cap.* 1. *de Frigid.* Hanc tamen controversiam prætermittit Marchionissa Julia, cum se hoc unum a Summo Pontifice postulasse, & exorasse contendat, ut, omisso ordinario judicio super nullitate, liceret sibi disceptare de gratiosa dispensatione super matrimonio rato, & non consumato. Aut igitur ea, quæ affert de impotentia Viri sub altero Dubio, tanta sunt, quæ nullitatem matrimonii evincant, & tum non repugnat, quominus pro nullitate hoc dubium dirimatur. Aut probationes, quæ ad demonstrandam viri impotentiam deducuntur, eo non perveniunt, ut eam perpetuam, & invincibilem ostendant, sed *moralem certitudinem* hujus impotentiæ tantum præseferant, & tum postulat, ut, cognitione hujus primi dubii prætermissa ex formula *Provisum in secundo*, alterum pro dispensatione dimittatis, quemadmodum factum pluries fuit ab hac Sac. Congregatione, & præcipue in allegata *Barchinonen. Matrimonii* 20. *Decembris anni* 1806. Defensor vero ex officio mordicus contendit, quoniam Marchionissa deprecata sit dispensationem *per l'invincibile impotenza di detto suo sposo*, & Summus Pontifex jusserit, ut processus institueretur *super canonicis causis Nullitatis*, & *Dispensationis*; idcirco fieri necesse esse controversiam de nullitate, & quærendum utrum ea sit Viri impotentia, quæ irritet matrimonium. Affert hinc sub primo dubio multa argumenta ad reiiciendam hanc impotentiam, de quibus cum agendum sit in altero

dubio pertractando, tum omnia hæc argumenta uno veluti adspectu exponam.

In II. Dubio quæritur de dispensatione, & convenit utrinque, quod duo extrema probanda sint: Scilicet *non consumatum* fuisse matrimonium, & *moralem probabilitatem* subesse impotentiæ Viri, quoniam hæc impotentia allegata est pro causa dispensandi. Hisce siquidem conspirantibus extremis, cum de potestate Summi Pontificis dubitare esset nefas, tum dispensationes hujusmodi concedi solent, quemadmodum passim ostendunt hujus Sac. Congregationis Oracula & præcipue *in Januen. Matrimonii* 14. *Januarii* 1741. *in Romana Matrimonii* 10. *Augusti* 1786. *in Melevitana Dispensationis* 7. *Februarii* 1790.

PRIMUM EXTREMUM non sequtæ *consumationis* demonstrat Marchionissa Julia tum ex his probationibus, quæ requirunt Canones, tum etiam ex aliis extrinsecis: Scilicet *ex suo juramento*, quo negant consumatum fuisse matrimonium: *ex juramento septimæ manus* propinquorum, qui affirmarunt putare se Marchionissam vera dixisse: *ex inspectione corporis* facta a tribus Obstetricibus, & duobus Peritis Chirurgis. Quæ ubi concurrant tum juramentum mulieris negantis consumationem præhabendum est juramento Viri, qui affirmat matrimonium fuisse consumatum *ex Cap. Proposuisti de probat.* Hisce probationibus, quas ad demonstrandam non consumationem requirunt S. Canones, accedunt aliæ extrinsecæ, quæ deducuntur ex *Testibus* atque ex *declaratione* Marchionis Aloysii Costaguti: *Testes* scilicet, qui patefaciunt circumstantias unde suspicari potest matrimonium non fuisse consumatum: *Cubiculariæ* Magdalena Chiarelli, Blandina Fantoni, Rosa Grazioli, quæ a primo nuptiarum die, & successive deinceps lintea curiosius investigantes nullum sequtæ deflorationis signum invenisse affirmant; *Marchionissa Barbara* Massimo Juliæ Mater, *Carolus* Frater, *Christina* e Saxonia Fratria, *Marchio Ercolani*, Medicus *Sarti*, qui omnes aut ex silentio, aut ex dictis Juliæ arguunt matrimonium non fuisse consumatum: Tandem *declaratio* Marchionis Aloysii in qua aperte fatetur nullo modo matrimonium consumasse.

Ar-

Argumenta hujusmodi convellere studet Defensor ex Officio. Primum ait suspectum esse *juramentum* mulieris ex *longo silentio* annorum duorum,& mensium sex,in quibus semper tacuit, nec de non consumato matrimonio ullam querelam proposuit,ex quo silentio omnis detrahitur vis juramento mulieris, quæ consumationem matrimonii negat *in Cap.* 1.*De Frigidis*:Deinde *ex dictis & factis* ipsius Juliæ,quæ hoc interea temporis vel matrimonium consumatum fuisse indicavit; quemadmodum constat ex testimonio Marchionissæ Muti Sororis Aloysi, vel se gessit tamquam semel, iterumque utero gravem, & hanc utriusque pregnantiæ opinionem ipsa aut intulit, aut non evellit: Tandem ex *causa*, unde processit serotina querela ab ipsa exposita, quæ processit ex domesticis discordiis,quibus conjugum animis abalienati sunt, quemadmodum patet ex *Epistolio* ab ipsa Julia scripto die 17. Aprilis 1807.

Hæc tamen omnia præoccupat Defensor Marchionisse Juliæ, & ex testibus ostendere satagit ipsam ad thalamum accessisse omnino ignorantem nuptialia misteria, qua quidem in ignoratione perseveravit usque ad decem menses post initum connubium; deinde aliquam notitiam assequtam esse,sed veram cognitionem habuisse tantum tempore proximo, quo reclamavit. Quare huic ignorantiæ tribui debet si ipsa tacuit, si equivocis dictis, aut factis indicare visa est matrimonium fuisse consumatum, si tulit, ut opinio pregnantiæ vulgaretur. Falsum porro esse ait,quod ipsa discordiis domesticis mota querelam de viri impotentia exposuerit, cum immo potius in domo manere prompta erat separata tantum a viri thoro, ut suæ conscientiæ consuleret, quam in luce fori impotentiam viri ponere.Defensor matrimoni removere contra studet hanc a Marchionissa Julia ignorantiam tamquam inverosimilem, immo contrariam iis ipsis, quæ Testes deponunt,unde constare dicit, quod ipsa sciverit omnia ante vulgatam secundæ prægnantiæ opinionem. Retorquet vero conditionem a Julia oblatam viro, ut separatio tantum thori fieret. Nam si hæc conditio a viro accipiebatur, ipsa ejus impotentiæ argumentum inde esse derivatura, quin impediretur ex hoc dispensationem po postea implorare; Sin vero recusabatur, in eumdem virum omnem invidiam converteret.

Hæc in utramque partem disputantur ,ut *juramento mulie-*

*ris* ejus Defensor conciliet fidem, abiiciat vero Defensor ex officio, qui ut infirmet alterum argumentum ex *virginitate* Juliæ deductum, carpit obstetrices; & Chirurgos, qui Juliam virginem judicarunt, ex eo quod invenerunt Muliebria exsucca, arida, & contracta; quando hæc signa, quæ medicamentis procurari possunt; nil concludant ad verginitatem ostendendam *Zacch. quæst. medic legal.* 1. *Lib.* 4. *tit.* 2. *num.* 24. & 25. At notat Peritos in contradictionem incidisse quoad Hymenem, membranulam illam quam pro signo virginitatis indicant *Zacchias loc. citat. Lib.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 2. *num.* 8. *Petriol. Dissert. Phisic. anath. de memb. Himen:* §. *final* Nam Ghirururgus *De Rossi*, & obstetrix *Jelmoni* negant hymenem in Juliam invenisse; Altera obstetrix *Delci* affirmat *se ne vede un qualche indizio*. Tertia obstetrix *Guerrini* ait *non ho trovato altro segno di deflorazione se non se la lacerazione dell' imene non recente, e questo può essere accaduto per una parziale introduzzione del membro virile*. Tandem *Savettus* invenit *l' imene mancante, e soltanto delle leggiere ineguaglianze nell' orificio della vagina*, sed ex hac Peritorum contradictione aliquam licet imperfectam emergere deflorationem contendit Defensor ex officio, quæ satis est ad reiiciendam dispensationem, ceu statuit *S. Congregatio in Camerinen. Matrimonii* 20. *Septembris* 1794. Quod tandem spectat ad ultimum argumentum erutum ex *Declaratione* Marchionis Alosii, contendit Defensor ex officio, quod nihili habenda sit hæc declaratio, tum quia emissa extra *Processum*, neque, ut ajunt, *purgata* sub formali examine, ut præscribit *Benedictina Constitutio*, tum quia omnino retractat confessiones emissas in formali examine.

ALTERUM EXTREMUM ad obtinendam dispensationem est causa, cur Pontifex matrimonium ratum, & non consumatum dispensare debeat. Causa hujusmodi in precibus a Marchionissa oblatis reponitur in viri impotentia, quam ejus Defensor probare studet ex non sequta consumatione, ex declaratione ipsius Aloysii, ex publica voce, ex inspectionibus factis a Chirurgis *Celoni*, *De Rossi*, & *Savetti*. Neque quidquam se timere ait ex contrario judicio Medicorum *Mora*, *Belli*, & *Bonelli*, & *Chirurgi Cattinara*, cum si hunc excipias, cæteri viri

potentiæ signa non viderunt, sed vel ex optima conformatione partium, vel ex assertionibus Marchionis Aloysii eumdem potentem renunciarunt. Defensor vero ex Officio utitur ad probandam in Marchione Aloysio potentia argumentis *negatis, & affirmativis.* Illa petit ex factis, Juliæ, quibus ultra biennium se ostendit viro contentam; hæc vero deducit ex relationibus Peritorum judicialium, & extrajudicialium; quæ potentiam Aloysii asserunt, eaque vindicat à contrariis objectionibus, quemadmodum refutat contrarias relationes præcipue Chirurgorum tamquam omnino incertas:

Multa præterea addunt de experimento triennali, quod longe abesse debere statuit Defensor Marchionissæ ab hac specie cum omnino probata sit impotentia viri. Rursus quia jam conjuges fere per triennium inutiliter cohabitarunt, & Marchionissa aperte protestata sit velle habere loco triennalis tempus omne, quod cum viro cohabitavit. Defensor ex officio triennalem locum habere contendit, si dubia sit potentia, unde multo magis in hac specie, in qua impotentia absoluta, & invincibilis excluditur, eaque triennalis computanda sit a Decreto Judicis *Wiestner. Instit. Eccles. Lib.*4. *tit.*15. *num.* 56. Sac. Congregatio *in Lucana* 21. *Novembris* 1767., & novissime *in Senen. Matrimonii* 28. *Februarii* 1807., in qua a muliere petebatur dispensatio super matrimonio rato, & non consumato:

Gæmina proponuntur Dubia:

I. *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.*

Et quatenus *Negative.*

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super Matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*

**Iterum Proponatur ad primam post aquas.**

NUL-

*Sess.21. cap.3. ses.23. cap.12. de Reform.*

NULLIUS S. MARTINI. Rogati EE. PP. in proxima præterita Congregatione = *An sit standum, vel recedendum a Decisis die* 12. *Septembris* 1801. *quoad I.*, *& IV. Dubium* responderunt = *Quoad manutentionem Ecclesiæ, & rerum ad ejus cultum pertinentium, necnon quoad reductionem Servitii Chori in Decisis, in reliquis recedendum a Decisis* = Scilicet censuit Sac. Congregatio Principem ab Auria Patronum Ecclesiæ, & Colleggiatæ S. Martini non teneri neque ad subministranda scuta viginti singulis Canonicis, quorum præbendarum fructus in Locis Montium constitutos decreverunt, neque ad supplendam Congruam Parochi, quemadmodum *in Congregatione diei* 12. *Septembris* 1801. decisum fuit.

Sed nunc re maturius perpensa, & sua jura deducente Principe ab Auria compertum est hanc obligationem Patrono inesse non posse neque ex *fundatione*, neque ex *juris dispositione*, neque ex *æquitate*. Non quidem ex fundatione, cum fundus a S. M. Innocentio X. assignatus Capitulo traditus fuerit in dominium, & administrationem, propterea que si nunc diminutus est non tenetur Patronus ad reficiendam Ecclesiam materialem si hæc ruinosa sit, sed hæc dispositio traduci non posse videtur ad casum, quo redditus Capituli defecerunt, itaut patronus tradito licet fundo teneatur ad supplendas Canonicorum præbendas, si diminuantur. Quamquam vero ex æquitate Ecclesia alat patronum si ad inopiam vergat; Attamen ex eadem æquitate non tenetur Patronus ad alendum universum Capitulum, maxime si angustia rei familiaris laborat.

Hisce ex rationibus censuit Sac. Congregatio Principem ab Auria non teneri ad supplendas Præbendas Canonicorum, & Congruam Parochi. Sed quoniam in Fundatione Olimpia Pamfili *ad manutentionem Ecclesiæ, & illius Fabricæ, ædiumque ad habitationem hujusmodi necessariarum suis, ac suorum in infrascripto jurispatronatus hæredum, & successorum sumptibus, & expensis etiam in futurum teneri voluit*; idcirco Sac. Congregatio hoc onus inesse putavit Principi ab Auria, propterea que stetit *in Decisis quoad manutentionem Ecclesiæ, & rerum ad ejus cultum pertinentium.*

Reclamat Princeps ab Auria ab hac clausola, & postulat, in impressa distribuenda *Allegatione*, ut standum sit *in*

*secundo loco Decisis dempta obligatione manutenendi res ad cultum Ecclesiæ pertinentes*. Nam fundus ab Innocentio X. assignatus fuit *pro mensæ Capitularis, atque Sacristiæ prædictarum dote, ac Abbatis, & Archipræsbiteri, atque Canonicorum Collegiatæ Ecclesiæ hujusmodi congruæ substentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, & manutentione*. Si igitur tradito fundo liberatur hæres a supplemento; si Princeps ab Auria liberatus fuit ex judicio Sac. Congregationis a supplendis diminutis Canonicorum Præbendis, & congrua Parocho suppeditandam, æque liberari debeat ab onere manutentionis rerum ad cultum Ecclesiæ pertinentium. Nam hoc unum pertinet Sacrario, cui cum assignatus, & traditus sit fundus, hæres ad supplementum non tenetur.

Proponitur Dubium.

*An, & quomodo sit standum in primo, vel secundo loco Decisis in casu &c.*

In secundo loco Decisis dempta obligatione manutenendi res ad cultum Ecclesiæ pertinentes.

*Sess. 7. cap. 5 de Reform.*

NULLIUS S. MARTINI SUSPENSIONIS NOMINATIONIS. Quæsitum fuit in Congregatione *diei* 7. *Maii* 1808. *An, & quomodo sit locus suspensioni nominationis* unius, alteriusque Præbendæ in Collegiata Ecclesiæ S. Martini, quam suspensionem postulabat Patronus Princeps ab Auria, ut fructus erogarentur in augumentum aliarum Præbendarum, quæ diminutæ sunt ob cessatam ex parte solutionem fructuum Locorum Montium. Rescriptum fuit = *Dilata, & ad Mentem. Mens est, quod præfigatur terminus duorum mensium Principi ab Auria ad effectum deducendi sua jura contra Resolutionem* 12. *Septembris* 1801., *& interim tempus, & tempora non currere*. Hæc jura deduxit in præterita Congregatione atque etiam in præsenti, ut in hujus Folii

præ-

præcedenti Instantia. Reassumpto Folio 7. Maii 1808., in quo de hac suspensione fusius agitur, dignentur EE. VV. deliberare.

*An, & quomodo sit locus suspensioni nominationis in casu &c.*

**Affirmative ad decennium pro vacanti, & primo vacatura prebendæ nisi prius revivixerint fructus Locorum Montium.**

*Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

BALNEOREGIEN. TRANSLATIONIS. Pestilentia afflictus anno 1657. Populus Oppidi Castriperi, nunc S. Michaelis nuncupati votum vovit Divo Antonio Patavino Ecclesiam, si incolumis evaderet, ædificandi, eique nuncupandi. Votum solvens veniam ab Episcopo impetravit, ut Ecclesiam extruere posset *sine præjudicio Jurium Parrochialium, & facta obligatione pro manutentione dictæ Ecclesiæ, ejusque Sacrarum Supellectilium*. Hanc Ecclesiam hæredem instituit Hieronymus Febei scripto testamento *anno* 1659., & Cappellaniam instituit onere injuncto celebrationis Missæ singulis diebus Dominicis, & præterea quinque intra annum, ac tandem *vuole, ed intende, che la Signora Contessa Verginia Febei nè Simoncelli Consorte del Signor Conte Ottaviano Simoncelli Padrone di Castel Piero sia sopraintendente, tutrice, e curatrice nell' amministrazione di detti beni*. Jus nominandi ad Cappellaniam nunc a majoribus suis acceptum exercet Comes Hermannus *Montevecchio*.

Cum in postrema S. Visitatione decreta sit instauratio Ecclesiæ, quae fatiscens erat, hinc *Marchio di Montevecchio* postulat translationem Cappellaniæ ad Ecclesiam Parrochialem in Cappella S. Catherinæ, cujus patronatu idem Orator Montevecchio fruitur, & ultro spondet Iconem S. Antonii ad hoc Altare transferre. Preces hujusmodi remissæ fuerunt ad Episcopum pro Voto nonnullis ad rem facientibus quæsitis. Episcopus refert Peritos ex of-

officio adhibitos invenisse Ecclesiam *in cattivo stato , e minacciante ruina per la sua cattiva situazione vicino ad una rupe , in cui si trovano molte case adjacenti alla Chiesa sudetta già dirute , ed altre minaccianti ruina , e per riparare alla ruina della Chiesa sarebbe necessario uno sperone , ed altri riattamenti , che porterebbero una spesa di circa scudi cinquanta , e tutta ciò potrebbe servire per sostenere la sudetta Chiesa circa trenta anni , giacchè stante il sito della rupe suddetta , non si può dire precisamente quanto tempo potrà sussistere .* Subdens deinde sententiam suam ait Episcopus = *Ecclesia S. Antonii non est idonea stabili , & permanenti instaurationi ob causas in Peritia expressas . Et cum Ecclesia remaneat in ea Oppidi parte , quam habitatores evitare curant ad avertendum periculum ruinæ , quod ipsi Periti innuunt , nihil detrahitur Populi commoditati , cui immo consulitur si sacrificia transferantur ad Ecclesiam Parrochialem , ad quam majori frequentia conveniunt Fideles divina Misteria colentes . Ex hac ratione ductus suum exhibet assensum ipse Parochus .*

Ex eo postulatur Cappellaniæ translatio , quod Ecclesia fatiscens sit . Tridentinum *sess. 21. cap. 7. de Reform.* facultatem Episcopis concedit , ut *transferre possint Beneficia simplicia etiam juris patronatus ex Ecclesiis , quæ vetustate , vel alias collapsæ sint , & ob earum inopiam nequeant restaurari .* Quærendum igitur videtur num Marchio Montevecchio ad reparationem Ecclesiæ teneatur . Ipse quidem Patronus Ecclesiæ non esse videtur , cum Ecclesia illa extructa sit instante Populo Castriperi , seu S. Michaelis , ut propterea ex ædificatione patronatum Populus ipse acquisiverit . Quamquam vero ex testamento Hieronymi Febei hæres instituta sit Ecclesia , attamen non ex hoc testator patronatum acquisivit , neque transmittere potuit in Comitiss.Febeo Simoncelli , cui omnem administrationis curam commisit.QuareMarchio Montevecchio ,qui a Comitissa Febei jura derivat , non fruitur patronatu Ecclesiæ ,nec propterea cogi posse videtur ad reparationem Ecclesiæ .

Neque si Marchio Montevecchio bona retinet , quæ ad hæreditatem Febei pertinent ; idcirco reparare tenetur Ecclesiam , quæ in hisce bonis hæres instituta fuit . Nam

Febeus hæredem quidem Ecclesiam instituit, sed jussit, *che l' utile, ed il frutto che si datrarrà da detti suoi beni, se ne debba far celebrare Messa in detta Chiesa annualmente in perpetuo*. Quare si fructus bonorum in quibus Ecclesia hæres scripta est ex destinatione Testatoris erogari debent in celebrationem Missarum non possunt converti in reparationem Ecclesiæ. Inutilis porro videtur hæc reparatio, quia Ecclesia sita est in declivio Rupis; & apud ædes, quæ in ruinam abierunt, ac Periti referunt novam molitionem vix per *triginta* annos stare posse. Ubi vero inutilis sit Ecclesia, neque Populi commodo officiatur, tum sane permittitur translatio quemadmodum definivit S. Congregatio *in Nullius, seu S. Laurentii in Campo Demolitionis Oratorii, & Translationis Onerum* 19. *Junii* 1802., *& in Patavina Translationis Missæ* 18. *Novembris* 1802.

Dubium proponitur.

*An sit locus translationi Missarum in casu &c.*

Affirmative cum solitis clausulis facto investimento prætii cæmentorum favore Ecclesiæ Parochialis in casu demolitionis pariter cum solitis clausulis.

*Sess. 23. Cap. 4. de Reform.*

ARETINA LEGATI. Conjuges Joannes Baptista Roggiolani, & Dominica Bennati anno 1710. donarunt per actum inter vivos bona sua omnia *ad una uffiziatura semplice, e perpetua durante mondo, che per suffraggio dell' anime loro vogliono, che si erigga nella Chiesa della Compagnia del SSmo Sagramento di Castiglion Fiorentino cogl' obblighi, e modi infrascritti*, quæ implenda erant post obitum utriusque Donantis. Onera vero imposuerunt Rectori pro tempore *di celebrare o far celebrare Messe quaranta basse ogni anno ad libitum, item messe sei all' anno basse, ed una cantata nel giorno della morte, che seguirà di detto Gioan Battista coll' applicazione de sagrifici tanto per l' anima di Gio. Battista, che di sua moglie*. Anno 1720. obiit Joannes Baptista, & anno 1730. Dominica, atque ignoratur quomodo temporibus ultimo loco defunctæ proximis im-

impletum sit Legatum , quia suppressa anno 1787. Societate Sanctissimi Sacramenti, deinde feliciter restituta , deperditi sunt ejus Codices , Missarumque Tabellæ , & una tantum existit Tabella , ( vulgo *Vacchetta* ) de qua inferius sermo redibit , nunc vero præter annuas quadraginta Missas , & Officium Missarum septem die obitus Joannis Baptista Roggiolani , quæ dies est decimanona Januarii , aliud simile officium Missarum septem celebratur die *vigesima septima* Aprilis cujusque anni , qua die ad plures transiit Dominica Conjux . A quo tempore , quave de causa hoc aliud officium in fundatione non expressum celebretur non satis constat , sed illius adimplementum præscribitur in prædicta Tabella , cujus initium ab anno 1774. , & juxta illam adimplendum mandavit Episcopus decreto Visitationis anni 1804.

Aldobrandus Beccanugi Ammanati ab anno 1769. hanc officiaturam possidet,semperque præter Missas 40. utrumque officium Missarum celebravit . Nunc vero asserens sibi exploratam fuisse fundationem , Episcopo supplicavit,ut quoniam in præteritum per annos *triginta novem* singulis annis celebraverit annuas Missas *septem*,ad quas ex fundatione non tenebatur ; ita in posterum non recusare quotannis celebrationem Missarum 54. , dummodo in *Codice*, seu Vacchetta hoc Legatum inscribatur = *Obbligo dell' Uffiziatura Roggiolani di Messe cinquantaquattro ad libitum* = Preces remisit Episcopus Congregationi a se propositæ implemento Legatorum , a qua Oratori facultas data est omittendi alterum officium septem Missarum,de cujus fundatione non satis constat, donec documenta fundationem probantia prodeant, *Firma tamen remanente forma prioris Legati.* Reclamat Orator ad S. hanc Congregationem , ut sibi liceat inposterum 54. Missas ad libitum *nempe ubicumque* celebrare , quod sibi ex fundatione deberi contendit ex verbis illis = *sia tenuto celebrare . . . ogni anno Messe* 40. . . . *ad libitum* , Episcopus ex rationibus inferius recensendis censet dispensari posse Oratorem ab officio septem Missarum,de quibus nulla mentio fit in fundatione,donec de ipsarum onere liqueat , sed reliquas Missas celebrandas esse in Ecclesia a Fundatoribus destinata . *Neque enim* , addit , *omittendum censeo Ecclesiam*

*ipsam summa Fidelium religione coli , & frequentari . Populus enim quotidiano concursu eamdem adit ad adorandam Jesu Crucifixi imaginem , quæ ibidem ab antiquis temporibus asservatur , & ideo præjudicium aliquod publico commodo infertur imminuto Missarum celebrandarum numero , cui quidem utilitati non minus , quam propriæ pietati a fundatore prospectum fuisse jure meritoque , arbitrandum est .*

De modo impendi legatum Roggiolani dum quæritur , duo præcipue inquirenda sunt . Primum num Orator , præter quadraginta Missas annuas , & unum officium celebrandum die 19. Januarii , teneatur , ad aliud officium septem Missarum die 27. Aprilis . Alterum , num annuendum sit , ut ad libitum nempe quacumque Ecclesia Legatum Roggiolani adimpleat . Quoad primum de Officio Missarum 7. die 27. Aprilis celebrando nulla fit mentio in Fundatione , sed onera Missarum etiam consuetudine induci posse definivit S. Congregatio *in Romana diei* 20. *Maii* 1786. *ad I. Dub.* , & Tabellas facere probationem onerum Missarum tradit *Benedict. XIV. de Synod. Dieces. Lib.* 13. *Cap.* 25. *num.* 4. Verum in casu inducta non est centenaria consuetudo , cum ab anno 1730., quo ultimus ex fundatoribus decessit , atque exequtionem habere cæpit legatum ad hæc usque tempora , vix octoginta anni elapsi sint , nec constat quod primis annis in S. Visitationibus ulla mentio hujus legati facta sit . Sed Orator per annos fere triginta hoc alterum officium implevit,nec implere cæpisset si a Prædecessore non novisset impletum , qua de re etsì eum lateret fundatio; attamen ex ipso facto suo videtur induci præsumptionem , quod ipse aut ex Codicibus , qui nunc deperditi sunt , aut aliunde sciverit unde hæc obligatio processerit .

Quo vero ad alteram Instantiæ partem , hæc una Oratori maxime cordi est , quæ respicit facultatem celebrandi ad libitum . Postquam Orator Preces obtulit Aretinæ Congregationi super adimplemento legatorum institutæ , & rationes superius allatas exposuit ad excludendum onus Officii 7.Missarum, nil sollicitus fuit de impetranda illius reductione , quin immo promptum se exhibuit , obligatosque voluit successores ad ejus implementum perpetuum , dummodo in tabella describeretur Lega-

gatum = *Obbligo dell'Uffizziatura Roggiolani di Messe n.* 54. *ogni anno ad libitum*. Plus quidem ei datum videtur quam postulavit, dum suspensum fuit onus prædictum 7. Missarum, donec aperte de illius origine pateat. Declaravit tamen, & apud vos contendit fundatores nil cavisse de Ecclesia, & in Collegiata elegisse sepulcrum, omnemque facultatem reliquisse Cappellanis quacumque Ecclesia celebrandi, dum voluit, *che debbano ogni anno celebrare Messe* 40. *ad libitum*. Hoc vero Episcopus fundationi aperte repugnare contendit. Nam Fundatores jusserunt, ut officiatura = *si erigga nella Chiesa della Compagnia del SSmo Sacramento*. Quare cum destinata sit Ecclesia, licet in ea sepulti non sint fundatores; attamen ab Ecclesia destinata diverti non potest, maxime cum si alio transferrentur Missæ populi commodum præjudicium caperet. Neque si Fundatores permiserunt Rectori, ut Missas ad libitum celebraret, idcirco ipsi arbitrium reliquerunt quoad locum eligendum, sed quoad dies. Nam ne voluntatis instantanea correctio admittatur, ita concilianda est fundutio, ut Missæ in destinata Ecclesia, sed ad libitum Rectoris quoad tempus celebrentur.

Dubium proponitur.

*An, & quomodo sit implendum legatum Roggiolani in casu &c.*

Affirmative ad formam tabellæ in Ecclesiæ SSmi Sacramenti.

PRÆNESTINA JUBILATIONIS. A mense Martio anni 1767. servitium choro præstat in Cathedrali Prænestinæ Præsbiter Gregorius Minucci primum tamquam Be-

*Ses.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

Beneficiarus, deinde tamquam Canonicus. In hoc quadraginta annorum curriculo defecit aliquando a servitio chori ita ut ex cumulatis *Fallentiis* tresdecim Mensium,& decem dierum inveniatur defectus ad explendum quadragenarium servitium,adeoque a SSmo deprecatus est, ut eidem remitterentur *fallentiæ* hujusmodi,ne ei impedirent, quominus indultum jubilationis consequeretur. Delegatis precibus ad Sac. hanc Congregationem rogata est Emi Episcopi Sententia audito Capitulo. Quamquam hoc faveat instantiæ;attamen fatetur usu receptum esse etiam in Cathedrali Prænestina,ut compensentur fallentiæ antequam quis indultum jubilationis consequatur. Emus vero Episcopus ait *ex resolutione Capitulari EE. VV. deprehendere facile poterunt, quid de continuo, & laudablli servitio quadragenario ab Oratore præstito ferri judicium possit*. Proposita hæc instantia per *Summaria Precum* in Congregatione *diei* 30. *Maii* 1807. rescriptum fuit = *Suppletis fallentiis recurrat* =

Renovat nunc preces postquam per tresdecim alios menses servitium præstitit;Sed quoniam in hoc tempore vacavit iis diebus, quibus erat a choro immunis; idcirco dubitat Capitulum rite nec ne fallentias suppleverit. Emus Episcopus censet = *intermedium vacationum tempus esse supputandum pro supplemento servitii, quo de agitur, ea permotus ratione,tempus quadragenarium hac in re continuum esse,non utile. Quemadmodum igitur, qui per annos quadraginta numquam a Chori servitio vacasset, nisi iis diebus, quibus a Constitutionibus Capitularibus permitteretur, vacationes ipsæ nihil officerent pro supputando isto tempore annorum quadraginta, pari hinc ratione officere non deberent dies legitimæ absentiæ. Quod si EE. PP. hæc mea qualiscumque sententia minus probata esset,validissimum in casu, quo de agitur, motivum urgeret saltem per modum gratiæ Oratoris suppticationibus indulgendi. Ipse enim nonnullos abhinc mensibus est animi mærore affectus, ut nonnulla ædiderit proximæ dementiæ indicia, ac etiam modo exire sibi non licere dubitat, quia choro interesse jam tum abstinuit paucis exceptis vicibus, ut meis exhortationibus obtemperaret. Ab eo disjecti animi die a Sacri celebratione omnino abstinuit. Cum itaque ille as-*

*assiduo quodammodo morbo laborare dici possit, petitæ gratiæ impetrationem animum suum fortasse exhilarare posset.*

Cum Orator tot commiserit fallentias, quot spatium ultra tresdecim mensium æquant, merito decretum fuit, ut has suppleret fallentias, cum jubilationis indultum concedi non soleat, nisi quis continuum, & laudabile servitium annorum quadraginta expleverit, quemadmodum semper facere consuevit Sac. Congregatio, & præcipue in *Ripana Jubilationis* 8. *Februarii* 1783. Utrum Orator suppleverit has fallentias controversia est. Nam in his tresdecim mensibus, in quibus servitium obire perrexit, vacavit iis diebus, quibus Constitutiones Ecclesiæ Canonicos per turnum inservientes vacare sinunt Et quamquam pro servitio quadragenario perficiendo habeantur pro diebus continuis vacationes, quibus licet uti; attamen dispar videtur ratio computandi tresdecim menses, de quibus agitur. Nam hos tresdecim menses servire debebat Orator non ut quadragenarium servitium compleret, sed ut tresdecim Mensium suppleret fallentias in quadragenario servitio commissas. Quare servire debet diebus continuis, aliter fieret ut si vacationibus uti potuerit, quæ in his tresdecim mensibus acciderunt non jam tresdecim, sed forsitan vix undecim mensibus servitium præstiterit, proptereaque fallentias non suppleverit. Infirmitas vero quantacumque sit non prodest ad obtinendum indultum jubilationes, ceu statuit Sac. Congregatio *in Recanaten. Indulti* 17. *Junii* 1802. *& in Lauretana Jubilationis* 20. *Decembris* 1806.

Firma tamen manente regula, ut nec Infirmis Jubilatio concedatur quatenus quadragenarium non obierint Chori servitium, videndum in casu est, utrum Canonico qui per 40., & ultra annos jam inservit, & si quid peccavit quoad continuum servitium, jam in maxima supplevit parte, venia ei sit danda quoad duos vel tres Menses, qui forsitan adhuc desunt, quosque infirmitate superventa adhuc in supplementum *Fallarum* superaddere nequit. Hisce in terminis aliquod breve tempus remissum fuit, quod deficiebat pro supplendis fallentiis in *Al-*

*Albanen.* relata per *Summaria Precum die* 20. *Februarii* 1808.

Dubium proponitur.

*An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess.22.Cap.2. de Sacrific. Missæ.*

FERETRANA MISSÆ CONVENTUALIS. Capitulum, & Canonici Collegiatæ S. Agatæ attenta tenuitate Præbendarum omiserunt applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus, & nunc coacti ex Decreto Episcopi in S. Visitatione ad applicationem, postulant ejusdem reductionem applicationis ad dies festos in futurum, & absolutionem quoad præteritum. Episcopus refert = *Capitulum decem Canonicis coalescit quotidie choro addictis. Nullus horum particularem præbendam habet, ex qua fructus percipiat, sed omnes Canonici fructuum Massæ Communis, in qua redditus omnes consistunt, sunt æque participes, si Canonicus excipiatur curam animorum annexum habens, qui & fructibus Pareciæ gaudet. Annui reditus Mensæ Capitularis summam scutorum Romanorum* 265. 50. *non excedunt habita ratione pretii legalis, ut vidi in Tabella status activi, & passivi mihi exhibita. Inter cetera onera, quibus Massa Capitularis premitur, numerantur Missæ* 993. *a Canonicis annuatim celebranda in maxima parte a Canonicatuum fundatoribus ordinata, quorum unus singulis diebus festis de præcepto solemniter unam celebrandam voluit. Cunctis porro oneribus impletis parum, vel nihil superest Canonicis ex dictis annuis redditibus, quin adsit spes ulla augendi congruam. Fatentur tamen Canonici quolibet anno scutata quindecim circiter singulis contingere ex fructibus Massæ communis, si ratio habeatur industriæ,*

*quæ*

*quæ solent augeri. Infirmæ ergo vires ejusdem Mensæ ab omissi celebratione Missæ pro benefactoribus in genere absolutionem postulare videntur, nec non Missæ cantatæ in singulis diebus festis reductionem pati, nisi tamen EE. VV. supradictum Missarum numerum* 993. *ad Missam pro Benefactoribus in genere quotidie applicandum cohibere placeat.*

Concedenda sane videtur reductio Applicationis Missæ Conventualis, quando concurrit tenuitas Præbendarum neque media suppetant, quæ Tridentinum *Sess.* 24. *Cap.*15. *de Reform.* præscribit ad succurrendam Præbendarum inopiam, quemadmodum cavetur in *Benedicti XIV. Constit. Cum semper oblatas* & definivit S. Congregatio *in Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1745., *& in Placentina Missæ Conventualis* 1. *Martii* 1777. Episcopus testatur Præbendas S. Agatæ non habere peculiares fructus, sed ex mensa communi singulos Canonicos detractis Missarum oneribus, quæ ex peculiaribus fundationibus procedunt, vix percipere annua scuta quindecim. Observandum tamen, quod supersunt singulis Canonicis scuta *quindecim* detractis oneribus Missarum, quæ cum ex fundationibus Canonicatuum injuncta sint, non minuunt reditus Canonicatuum, neque earum stipendium detrahendum videtur. Sed quamquam ultra scuta *quindecim* paululum ex missarum eleemosinis augeantur redditus tenue semper Canonici illi habent stipendum pro quotidiano Chori servitio, cum alias S.Congregatio reductionem applicationis Missæ Conventualis concesserit, cum Canonici pro quotidiano Servitio perciperent quotannis scuta *vigintiquatuor in Syracusana Reductionis Missæ Conventualis* 12. *Februarii* 1803. Nec spes adest augumenti redituum teste eodem Episcopo, nec augeri posse videntur per reductionem aliorum onerum Missarum, quæ ex peculiaribus fundationibus derivant. Nam nulla causa subest cur Missæ hujusmodi reducantur, quarum fundus existunt, & potius incerti Benefactores, quam certi suffragiis privandi sunt.

Ex hac tenuitate fructuum Mensæ Capitularis, atque impotentia supplendi exoranda quoque a SSmo videtur absolutio ob preteritum inadimplementum, quemadmodum concur-

rente impotentia facere consuevit S. Congregatio ceteris omissis *in Spoletana Missæ Conventualis ad III. Dub.* 1. *Martii* 1729.

Gæmina proponuntur Dubia.

*I. An sit locus reductioni Applicationis Missæ conventualis in casu &c.*

*II. An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

*Die*

## *Die Sabbathi 17. Decembris 1808. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

*Sess. 24. Cap. 12. de Reform.*

PRÆNESTINA JUBILATIONIS

*An sit dandum indultum Jubilationis in casu &c.*

Affirmative.

*Sess. 22. Cap. 2. de Sacrif. Missæ.*

FERETRANA MISSÆ CONVENTUALIS

I. *An sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad dies festos ad formam Constitutionis S. M. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*.

Ad II. Affirmative applicata infra mensem unica Missa cum cantu.

*Sess. 25. Cap. 4. de reform.*

ROMANA MATRIMONII. Nulla suscepta est deliberatio in hac causa in Congregatione diei 17. *Septembris proxime præteriti*, & scissis EE. PP. suffragiis in contrarias sententias rescriptum fuit = *Iterum proponatur in prima post aquas* = Hodie reproponitur causa, & Marchionissa Julia Massimo suam distribuet *Allegationem*, & suas Animadversiones Defensor *Matrimonii*.

 Fu-

Fusius jam hæc causa exposita est in præterito Folio, nec aliud addere necesse duco, nisi vos præmoneam EE. PP. quod hinc inde distribuuntur Vota Medicorum, & Chirurgorum, qui extrajudicialiter à partibus rogati sententias suas pro, contraque consumationem matrimonii, & potentiam Viri aperiunt, & defendunt.

Eadem, quæ in anteacta propositione, Dubia proponuntur.

I. *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.*

Et quatenus *Negative*

II. *An sit consulendum SS̃mo pro dispensatione super Matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*

Iterum proponatur cum iidem.

*Sess. 24. Cap. 9. de Reform.*

TERRACINEN. ET SETINA JURISDICTIONIS. De ordinaria jurisdictione super Oratorio, & Sodalitio vulgo *de Battenti*, quod extat in Oppido quod accolæ appellant *Sermoneta*, cum orta esset controversia inter Episcopum Terracinensem, & Capitulum Lateranense istud ad Sac. hanc Congregationem jura sua detulit. Audita de more informatione cum Eminentissimi Lateranensis Archipresbiteri, tum Episcopi Terracinensis proponitur nunc causa in strenuo partium certamine, quæ impressas EE. VV. distribuent *Allegationes*, quarum summa capita exponam.

*EPISCOPUS TERRACINENSIS* suam ordinariam jurisdictionem super Oratorio Divis Apostolis Petro, & Paulo nuncupato, & Sodalitio *dè Battenti* quod in eo est, affert, & defendit ex juris *dispositione*, ex qua Episcopo attribuitur ordinaria jurisdictio super omnibus Ecclesiis intra suæ Diæcesis fines existentes *ex Text. in Cap. 7. de Offic. Ordinar. in 6.* atque etiam super Sodalitiis in iisdem Ecclesiis erectis, quemadmodum cavetur in Constitutione Clementis VIII. ædita anno 1604. cujus initium *Quæcumque*. Habet itaque Episcopus fundatum, ut ajunt, intentionem in jure pro exercitio suæ ordinariæ jurisdictionis super Oratoriis, & Sodalitiis, neque ab ea deturbari potest, nisi ex privilegio ab hac jurisdictione exemptum probetur Oratorium, & Sodalitium

sitium, & ita exemptum, ut aperta sit alterius jurisdictio, quæ vincat ordinariam, & a jure profluentem Episcopi Jurisdictionem. Secus enim si ambiguum sit privilegium semper pro ordinaria Episcopi jurisdictione standum erit ut *ad Tex. in Cap.* 7. *de Privileg.* tradit Rota *in Recen. Decis.* 354. *num.* 1. *part.* 19. *cor. Ansald. Decis.* 809. *num.* 32., *&* *Decis.* 870. *num.* 1.

Non diffitetur quidem Episcopus, quod Lateranense Capitulum ex privilegiis a Summis Pontificibus concessis exerceat jurisdictionem ordinariam super Oratoriis, & Sodalitiis in solo Lateranensi erectis, aut existentibus, sed negat quod habeat privilegium *aggregandi* Ecclesias, & Oratoria, aut Sodalitia, quæ in solo Lateranensi erecta non sunt. Multum enim interesse contendit inter utrumque privilegium. Hoc enim quod consistit in jure *aggregandi* Sodalitia extra Lateranense solum erecta, quodque a Calisto III. concessum asseritur, revocatum postea fuit a Pio IV. in Constitutione vulgata. an. 1562. cujus initium *Regimini Bullar. Tom.* 4. *part.* 2. *Constit. in ordin. la* 67. Alterum vero privilegium exemptionis eorum locorum in solo Lateranensi existentium quamquam revocatum in eadem Constitutione Pii IV., attamen redintegratum fuit a Sixto V. in Constitutione, quæ incipit *Si cunctas* data anno 1586. *Bullar. tom.* 4. *part.* 4. *Constit.* 29. dummodo tamen Oratoria, & Sodalitia in solo erecta essent, quod ante erectionem pertineret ad Capitulum Lateranense, ceu distinguit inter utrumque privilegium *Rota cor. Emerix Jun. Decis.* 228. *num.* 5., *&* *coram Lancetta Decis.* 1385. *num.* 4.. Negat porro Episcopus Oratorium *de Battenti*, de quo controversia est, ædificatum fuisse in solo Lateranensi, id quod ita probare studet.

Affert enim Instrumentum *an.* 1460. stipulatum inter Capitulum S. Mariæ Sermonetæ, & Sodales *dè Battenti*, in quo his illud titulo perpetuæ locationis concessit Cappellam de Ritiis *positam a latere dextero introitus primi ipsius Ecclesiæ sub speciali vocabulo Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, nec non quodam solum Terræ Cæmeterii quadratum contiguatum per directum muro exteriori Cappellæ*, & pro recognitione dominii sibi stipulavit Capitulum annum Canonem *quatuor librarum* Ceræ. Hanc locationem probavit S. M. Alexander Papa VI. datis litteris in

for-

forma *Brevis* anno 1590. . Abhinc semper Sodales Canonem pensitarunt usque in præsens, illumque immo coacti fuerunt rependere judicio facto a Capitulo, cum sodales solutionem recusassent. Nam ex sententiis Judicis Sermonetæ deputati, & A. C. Baranzoni; & R. P. D. Aquaviva Judicis Commissarii damnati fuerunt ad solutionem Canonis ad formam Instrumenti, & Brevis. Quare si Oratorium ædificatum esse constat in solo a Capitulo concessum, cui etiam nunc canon rependitur, negat Episcopus, quod ædificatum sit in solo Lateranensi.

Addit etiam, & illud, quod Capitulum ipsum Lateranense noverit nullam se habere super hoc Oratorio, & sodalitio Jurisdictionem. Nam tulit, ut Episcopi Terracinenses Oratorium visitarent, administrationi sodalitii præessent, rationes expungerent, veniam pro alienationibus, & investimentis a sodalitio faciendis concederent. Præterea cum anno 1712. controversia orta esset inter Episcopum, & Capitulum Lateranense super jurisdictione, arbitrium eam dirimendi utrinque datum est Cl. Me. Cardinali Corradino Pro-Auditore SSmi, & Capitulum nullum jus se habuisse fassum est, & Vicarium quem Sermonetæ retinebat Sacerdotem Petrum de Marchis removit.

Neque quidquam sibi metuendum esse ait Episcopus a documentis, quibus utitur Capitulum, ut suam jurisdictionem super hoc Oratorio, & sodalitio vindicet. Hæc enim eo spectant *vel*, ut aggregationem hujus Oratorii, & Sodalitii demonstrent, *vel* existentiam Oratorii, & Sodalitii in solo Lateranensi, *vel*, ut actus jurisdictionales super Oratorio, & Sodalitio exercitos ostendant. Quæ aggregationem Oratorii demonstrant, nihil sane de ordinaria jurisdictione Episcopi derogant, quoniam hoc aggregationum privilegium a Pio IV. sit omnino sublatum. Quæ vero documenta afferuntur ad demonstrandum Oratorium, & Sodalitium esse in solo Lateranensi erectum omnino concidere ait Episcopus, cum antea probaverit Oratorium, & Sodalitium stare in solo a Capitulo S. Mariæ concesso Sodalibus Disciplinatorum. Hinc nihil probare ait Codicem, quod in tabulario Lateranensi servatur inscriptum *della Catena*, in quo inter alia loca in solo Lateranensi posita adnotatur Ecclesia S. Joannis in Castro Sermonetæ. Nam præterquam in eo manifestus error irrepsisse constat, quandoquidem probatum sit Oratorium existere

in

in solo Capituli S. Mariæ; accedit prȩterea quod in hoc Codice non legitur Oratorium nuncupatum Divis Petro, & Paulo, sed S. Joanni, quod nullibi in Oppido Sermonetæ existit. Hinc nil sibi vindicare ait lapis inscripta in pariete Oratorii ( quam tamen recentissime positam fuisse veteri remota affirmant Testes ab Episcopo inducti ) ex qua numquam probatur, quod Oratorium sit ædificatum in solo Lateranensi, sed ad summum, quod aggregationis privilegio utebatur. Tandem ea documenta a Canonicis Lateranensibus allata, quæ ostendunt actus jurisdictionales super Oratorio, & sodalitio exercitos, nihil ad rem pertinere contendit Episcopus, quia cum constet Oratorium erectum esse in alio, quam Capituli Lateranensi solo, numquam ex his actibus Capitulum aquirere poterat jurisdictionem, quæ ex privilegio ad solum tantum Lateranense coercetur, ut statuit *Rota coram Ansaldo decis.* 31. *coram Lancetta decis.* 1389. *num.* 11., *&* 12.

*CAPITUEUM LATERANENSE* suam derivat ordinariam jurisdictionem ex privilegiis sibi impertitis a S. Pontificibus Bonifacio IX., Sixto IV., & V. atque ex longæva observantia. Ex illis enim Pontificiis Constitutionibus habet ordinariam jurisdictionem super Ecclesiis, Oratoriis, & sodalitiis in solo Lateranensi erectis, quæ ab jurisdictioneOrdinarii exempta omnino sunt, quemadmodum tradunt. *Card. de Luca deJurisdict. discurs.* 39. *num.* 2. *Rota coram Molines decis.* 710., *& in Senogallien. Jurisdictionis* 9. *Februarii* 1759. §.2. *cor.Bussio & Sac. hæc Congregatio in Meliten.* 17. *Novembris* 1703. *in Maceraten.* 26. *Aprilis* 1727. *in Spoletana Cappellæ* 9. *Septembris* 1732. Neque si Pius IV. hæc privilegia abrogavit, idcircoCapitulum amisit jurisdictionem super Oratorio, & Sodalitio *dei Battenti*, quippe quod erectum longe ante Constitutionem Pii IV. privilegiorum abrogatoriam. Nam Sixtus V. ea privilegia restituit, ac proinde jurisdictio, quam anteConstitutionem Pii IV. exercebat, quæque hac ædita Constitutione infirmata est, iterum auctorante Sixto V. convaluit, ceu statuit in non absimili specie *S. Rota in allegata Senogallien. cor. Bussio*. Ex hisce deducit, quod ubi probetur Oratorium, & Sodalitium *dei Bettenti* erectum esse in solo Lateranensi nihil sibi vindicare debet juris *assistentia* favo-

vore Episcpi, cum imo faveat Capitulo, qui apertissimo Apostolico Privilegio nititur, ut observat *Rota cor. Falconer. tit. de Offic. Ordinar. decis.* 1. *num.* 4., *& in allegat. Senogallien. Jurisdictionis* §. 9. *coram Bussio*.

Ad factum itaque deducit Capitulum controversia, scilicet ad demonstrandum Orttorium, & Sodalitium dè Battenti erectum esse in solo Lateranensi, atque id probat I. ex *Codice* appellato *la Catena* in quo inscribitur tamquam in lateranensi solo erecta Ecclesia S. Joannis *anno* 1440. cujus Ecclesiæ Sodales tenentur præstare annuum Canonem librarum duo Ceræ Capitulo Lateranensi. Hujus codicis *della Catena* authorttatem probavit S. Rota *in Recent. part.* 3. *decis.* 100. *num.* 1. II. Ex Inscriptione anni 1444. quæ usque ad annum 1679. in fronte Ecclæsiæ mansit, eaque remota transcripta fuit in inventario ejusdem Sodalitii III. Ex vetustissimo Inventario anno 1485. scripto a Joanne Clerico Constantiensi Scriba Capituli Lateranensis, in quo adnotatur Ecclesia S. Joannis inter ceteras ædificatas in solo Lateranensi. IV. Ex litteris datis a Capitulo Lateranensi per intervalla temporum Sodalibus *de Battenti*, in quibus Ecclesia, & Sodalitium enunciatur erectum in solo Lateranensi. V. Ex jugi, continuataque solutione Canonum facta a Sodalibus Capitulo Lateranensi VI. Ex actibus jurisdictionalibus a Capitulo Lateranensi gestis.

Atque ex hoc postremo capite exercitæ jurisdictionis firmat quoque capitulum suum jus ex observantia. Hæc vero coalescit ex actis visitationum Ecclesiæ, & Sodalitii factæ a Capitulo; ex deputatione Vicariorum scientibus, & probantibus ipsi Episcopis; ex dispunctione rationum Sodalitii, ex recursibus sive judicialibus, sive extrajudicialibus factis a Sodolibus ipsi Lateranensi Capitulo; quæ omnia preseferunt longævam observantiam quoad exercitium jurisdictionis, atque ipsum jus Capituli confirmant, ut observat *Rota cor. Bichio Decis.* 333. *num.* 4. *in Nuperrim. Decis.* 652. *num.* 2. *in Ravennaten, seu Ferrarien. Jurisdictionis* 10. *Januarii* 1746. *numer.* 4. *cor. Molines.*

Post hæc Capitulum refutare satagit, quæ ab Episcopo proposita sunt ad suam confovendam jurisdictionem. Negat quod ex opposito Instrumento locationis factæ a Ca-

Capitulo S. Mariæ Sermonetæ, vel ex Brevi Alexandri VI. liqueat, quod Oratorium extructum sit in solo Capituli Sermonetensis, sed id unum constat, quod cesserit solum Sodalibus, ut construerent *Vestitorium*, & *Spoliatorium*. Ex hoc porro ipso patet, quod Sodalitium jam erectum erat in alio Oratorio, ut proinde simul stare possit, quod Oratorium ædificatum sit in Solo Lateranensi, & annexum *Vestitorium*, & *Spoliatorum* in Solo Capituli S. Mariæ, & idcirco Sodales utrique Capitulo canones rependerit. Parimodo negant Canonici Lateranenses recognovisse jurisdictionem Episcopi. Nam demonstrare student remotionem Vicarii Lateranensis de Marchis ex alia causa factam esse, quam ex eo quod Capitulum noverit nullam se habere jurisdictionem super Oratorio, & Sodalitio *de Battenti*, neque id in Æpistola Episcopo data Capitulum fassum est, sed tantum novit nullam jurisdictionem super diverso Oratorio *della Misericordia*. Actus demum jurisdictionales ab Episcopo gesti nihil sibi obesse putat Capitulum, vel quia se ignorante gesti, vel quia tribui potius debeat delegatæ Jurisdictione, quam Episcopus a Sede Apostolica ex præscripto Tridentini *Sess.* 24. *Cap.* 9. *de Reform* fruitur super locis etiam exemptis, ut observat *Rota in Recen. Decis.* 115. *num.* 9. *part.* 9. *cor. Roxas. Decis.* 25. *num.* 9. & *in Senogallien Jurisdictionis* 9. *Februarii* 1759. §.19. *cor. Bussio*.

Ex his in utramque partem deductis EE. PP. deliberare dignabuntur.

*An, & de cujus ordinaria jurisdictione constet in Oratorio, & Confraternitate de Battenti in casu &c.*

Dilata & ad D. Secretarium pro subdelegatione Judicis in partibus ad effectum verificandi etiam elevata mappa, an constet de identitate hodierni controversi Oratorii cum Cappella de Ritiis, ac solo annexo concessis Confraternitati a Capitulo S Mariæ Sermonetæ per instrumentum anni 1460. auditis partibus, nec non dicto Capitulo S. Mariæ, Sodalitio, & testibus hinc inde inducendis.

FULGINATEN. Quesitum est in Congregatione diei 6. Augusti hujus anni *I. An sit exequendum Decretum Episcopi Ginanni diei* 18. *Martii* 1785. *in casu &c.*, & qua-

*Sess.* 24. *Cap.* 19. *De Reform*

quatenus *Negative* = *II. An*, *& quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione in casu &c.* & EE. PP. responderunt = *Dilata*, *& scribatur Episcopo*, *qui præfigat terminum unius Mensis Capitulo ad deducendum jura sua in S. Congregatione* . . Prefixo hoc termino Episcopus refert in sua posteriori Epistola *Capitulum se nihil aliud habere*, *quod hac super re ejus jus favere queat*, *quam idem Episcopi Giannani Rescriptum* . *Idcirco cum nihil deducere possint*, *in omnibus iidem Prior*, *& Canonici se referre declarant Episcopi ejusdem concessioni*, *& omnimode veneraturos quid quid hoc super negocio S. isti Congregationi decernendum placuerit protestantur* .

Reassumpto itaque præcedenti hujus causæ *Folio* deliberare dignabuntur .

*I. An sit exequendum Decretum Episcopi Giannani* 18. *Martii* 1785. *in casu &c.*

Ex quatenus *Negative* .

*II. An & quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione in casu &c.*

Ad I. Affirmative salvo jure Episcopi pro adprobatione eligendorum .

Ad II. Provisum in primo .

*Sess. 14. Cap. 12. De Reform.*

CIVITATIS CASTELLANÆ REDUCTIONIS SERVITII CHORI . Quæsitum est in Congregatione diei 6. *Augusti proxime præteriti* = *An & quomodo sit concedenda reductio Chori* = ( cujus servitium Capitulum Vineanelli narravit se *quotidie* præstare debere ) , atque responsum fuit = *Affirmative reducto Servitio Chori ad formam Tarraconen. donec augeantur redditus* scilicet *reducto Servitio chori ad dies festos tantum* , *ita tamen*, *ut Capitulares omnes tempore adventus* , *& quadragesimæ* , *omnibus diebus festis* , *ac Solemnioribus Nativitatis* , *& Resurrectionis D. N. J. C. ac per Octavam ejusdem* quemadmodum fert Decretum *in Terraconen.* 18. *Februarii* 1764.

Renovat nunc preces Capitulum , & per equivocum narra-

tum

tum esset dicit quod Servitium Chori sit *quotidianum* quando per *mediariam*, seu per alternas hebdomadas præstatur. Cum igitur ex concessa reductione tempore Adventus, & Quadragesimæ, & Octavæ Nativitatis & Resurrectionis D. N. J. C. cogatur quotidie choro interesse, ad quod ex institutione non teneretur, idcirco supplicat, ut indulta reductio ad integrum Servitium in diebus Festis a *prima* usque ad *vesperas* cohibeatur. Rogata est Sententia Episcopi, ut referret de qualitate Servitii, & de redditibus Capituli. Ex perticula Constitutionum a Capitulo transmisso constat, quod Servitium prestatur per alternativam. Ex statu vero *activo* & *passivo* a Capitulo confecto liquet, quod mensa Capituli constat præter LL. Montium 160., & 93. *centesim.* quorum fructuum nunc cessavit solutio, ex pensionibus domorum in annuis scutis 85., detracto vero ex his stipendio Sacristæ in Scutis *Sex* & Organistæ in Scutis 32. vix supersunt pro singulis sexdecim Capitularibus annua scuta *tria*. Episcopus in sua *Informatione* exposita a Capitulo confirmans *justam*, & *rationabilem esse petitionem dicti Capituli*, *ipsique idcirco esse annuendum*.

Tenue quidem est emolumentum Scutorum *trium* pro singulis Capitularibus. Et quamquam stipendium Organistæ reduci posse videatur, attamen pusillum augumentum Capitularibus afferret. Videant igitur EE. PP. num reducendum sit Servitium ad dies festos tantum a *prima* usque ad *Vesperas*, quemadmodum Capitulum postulat, Quoniam vero ignoratur num Capitulum in præteritum obierit servitium ad tramites fundationis, cum ob diminutos redditus non posset ex se abstinere a servitio, nisi impetrata reductione, idcirco monendos videntur Capitulares, ut quoad præteritum consulant conscientiæ suæ.

Dubium proponitur.

*An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.*

Non proposita cum Sequentibus.

*Sess. 21. Cap. 7. De Reform.*

TOLENTINATEN. UNIONIS, SEU REDUCTIONIS CAPPELLIANARUM. Æquo pietatis fœdere conjuncti Sacerdos Dominicus & Rosa germani Marini testamentum reciprocum scripserunt die 7. *Maii anni* 1738.; quo relictis nonnullis legatis, & ex eis superstite in usufructu hærede instituto, proprietatem bonorum reliquerunt quatuor Cappellaniis Ecclesiasticis erigendis post eorum obitum in Ecclesia *S. Mariæ Veteris* Civitatis Tolentini. Ad alteram ex hisce Cappellaniis nominarunt *Sacerdotem Antonium Ciottoni*, alteram reliquerunt *Antonio Reali*, dummodo præsbiter fieret, reliquarum vero jus nominandi addixerunt *Joanni Philippo Filoni*, quoad ipse viveret. Quibus defunctis jus patronatus activum legatum est *alli Signori Cappellani, che sopraverranno unitamente alli Signori Rettori, o siano Capi dell' Orfanotrofio, quali doranno nominare, o preferire prima li figli Maschi di Antonio Verzelli, e Nepoti del medesimo, e non altre posteriori generazioni. Poi li figli Maschi di Angela Moglie di Domenico, e li loro respettivi Nepoti. Inoltre li figli Maschi di Vittoria Moglie di Domenico Pulone come sopra &c. Se poi non vi fossero Chierici capaci in dette linee come sopra da noi chiamate debbano li Signori Elettori scegliere un Chierico della Cura della Cattedrale, che sia povero de beni di fortuna &c.* Multa vero onera Cappellanis imposuere Testatores, scilicet.

„ I. Primo siano obligati celebrare ogni settimana due
„ Messe per ciascheduu Cappellano in tutte le Do-
„ meniche, ed altri giorni festivi se s'incoutreranno.

„ II. Che debbano in tutte le feste dell' anno collegiata-
„ mente officiare in detta chiesa come si pratica nella
„ collegiata di S. Giacomo cantando la sola Messa, e li
„ soli Vesperi senza gravarli alle altre funzioni di Coro
„ quali si praticano in detta Chiesa di S. Giacomo.

„ III. Che debbano celebrare cinque Messe cantate di re-
„ quie ogni anno nei giorni Anniversarii di nostro Padre
„ e Madre, del Nostro Fratello Francesco già premorto, e
„ di ambedue noi Testatori.

„ IV. Che debbano, quando sarà eretto da persona a
„ noi cognita l'Ortanotrofio per li poveri Orfanelli inse-
„ gnare alli medesimi a leggere, scrivere, far conti e
„ sopra tutto la dottrina Cristiana tre volte la settimana
„ e ciò un mese per ciascuno.

V. Che

,, V. Che debbano mantenere un Organista in detta Chiesa
,, di S. Maria Vecchia per accompagnare con l' Organo
,, le sudette Messe Cantate, e Vesperi con l'assegnamen-
,, to di scudi quattro come ancora debbano chiamare
,, due Chierici Parenti poveri, perchè questi a detti
,, Cappellani prestino assistenza in dette loro Funzioni,
,, e sieno tenuti nel S. Natale dargli la ricognizione di
,, quindici paoli per ciaschedun Chierico.

,, VI. Che debbano esporre in venerazione la Reliquia
,, della B. Vergine Maria in detta Chiesa in tutte le sette
,, Feste principali a lei consagrate con due Candele acce-
,, se dalla mattina sino all' ore ventitrè, e nel giorno
,, della commemorazione de morti debbano far ardere
,, due Candele dalla mattina di buon ora sino al mezzo
,, giorno nell' Altare del SSm̃o Rosario nella Chiesa Col-
,, legiata di S. Giacomo conforme si e sempre praticato
,, farsi dalla nostra casa.

,, VII. Che debbano dare in ogni anno nella festa della
,, SSm̃a Annunziata una dote di scudi dodici, e mezzo
,, ad una Zitella della cura della nostra Catedrale con li
,, requisiti &c.

Defuncto Sacerdote Dominico Marini, ejus superstes Soror Rosa per actum donationis inter vivos, interpositis solemniis stipulatum die 6. *Aprilis anni* 1793., bona sua omnia donavit duabus Cappellaniis laicalibus post sui obitum erigendis in Ecclesia *S. Mariæ Veteris*, ad easque nominavit Sacerdotem Antonium Ciottoni, & Clericum Antonium Reali, quibus, eorumque hæredibus, & successoribus jus nominandi in posterum reliquit. Onera vero eis imposuit ut singuli missas centum celebraret: ut ex his unam canerent diebus festis: aliosque quinque singulis annis in diebus anniversariis obitus suorum, quos nominavit, consanguineorum, ut Vesperas diebus Dominicis, aliisque de præcepto canerent: ut tenerentur = *esporre in venerazione la reliquia della Bm̃a Vergine nella Chiesa di S. Masia Vecchia in tutte le feste principali con una candela accesa dalla mattina sino alle ventitre ore* = ut præterea Cappellani *per il lasso di anni quindici da computarsi dal giorno della sua morte nella mattina della commemorazione di tutti li defonti debbano fare accendere una cadela del taglio almeno di oncie tre sopra la sepoltura della Casa*. Hæc one-

onera a Cappellanis impleri voluit, cæteris in testamento impositis derogavit.
Post obitum Rosæ suspensæ fuerunt duæ illæ Cappellaniæ quæ ex hæreditate Præsbiteri Mariani erant erigendæ. Nam Thomas Verzelli a S. M. Pio VI. impetravit ex Rescripto anni 1794. = *ut ex quatuor Cappellaniis constitutis in testamento simultaneo Præsbiteri Dominici Marini, & Rosæ Marini, ejus germanæ Sororis, intactæ quidem remaneant illæ duæ, quas peractum intervivos confirmavit Rosa Marini adiecta nominatione Cappellenorum aliarum vero nominationes suspensæ remaneant durante vita Oratoris, cui Sanctitas Sua post obitum Rosæ Marini benigne concessit usumfructum bonorum duobus hisce Cappellaniis assignandorum post obitum ejusdem Rosæ bonorum omnium usufructuariæ, & ita non obstantibus dispositionibus Præsbiteri Dominici Marini, quas tamen in cæteris partibus huic indulto minime contrariis servari, & exequi mandavit.*
Ex gemina vero alia Cappellania, quam instituit Rosa Marini, alteram possidet Præsbiter Antonius Ciattoni ab ipsa Rosa nominatus, alteram Vincentius Reali a fratre suo Antonio presentatus, eamque ad vitam retinet cum dispensatione a Clericatu ex Rescripto Sanctissimi *diei* 11. *Maii* 1806. Nulla facta est erectio formalis utriusque Cappellaniæ a Rosa fundatæ, utpote quæ laicales Cappellanias erigendas jussit. Sed ex quodam Folio in Episcopali Cancellaria existenti constat anno 1806. bona omnia Sacerdotis Dominici, & Rosæ Marini in duas divisa esse partes, quarum altera assignata est Cappellaniis erigendis ex fundatione Sacerdotis Dominicì, altera data est pro Cappellanis a Rosa Marini institutis Sacerdoti Ciattoni, & Vincentio Reali. Cappellani hujusmodi modo supplicant, ut attenta tenuitate redituum, vel duo illæ Cappellaniæ erigendæ ex testamento Sacerdotis Dominici Marini, quæ ex Rescripto S. M. Pii VI. suspensæ sunt, earumque fructus percipit Thomas Verzelli, hoc defuncto uniantur cum aliis geminis Cappellaniis jam ab Oratoribus possessis ex fundatione Rosæ Marini, vel onera pro ratione redituum reducantur. Rogatus est Episcopus de sua Sententia, ut *auditis Rectore Ecclesiæ Deputatis Orphanotrophii, & Thoma Verzelli, nec non Curatore deputando futuris vocatis* re-

referret de reditibus bonorum Cappellaniæ, de impensis necessariis ad implementum onerum, aliisque, quæ ad rem pertinebant.

Respondit Episcopus = *Deputatos Orphanotrophii responsum dedisse, se diversimode existimare esse faciendum, Exequutorem vero testamentarium minorationi, & incorporationi prædictæ omnino favere. Nihil Ecclesiæ Rector exposuit, dum ipse Episcopus est Ecclesiæ Patronus. In definiendo annuo redditu, nihil exacte afferi potest, quia assiduis expensis, & gravaminibus subjacet pro rerum vicissitudine, & eo magis, quia nonnulli perierunt fundi in pecuniæ commutatione.* Nihilominus duo exhibentur *Folia*, quorum alterum est *folium Divisionis* bonorum factæ anno 1806., de quo supra narratum est, ex eoque constat, qui fundi assignati sint Thomæ Verzelli pro duabus Cappellaniis, quarum ejus vita durante suspensa est erectio, simulque ex eodem *folio* constat, qui sint fundi assignati Sacerdoti Ciottoni, & Vincentio Reali pro Cappellaniis ab iisdem possessis. Alterum vero *Folium* exhibet *introitum, & exitum* fructuum, & onerum Cappellaniarum, quæ ab Oratoribus possidentur; ex eoque patet annuos reditus utriusque Cappellaniæ consistere in scutis 49. 68., onera vero compræhensa eleemosina Missarum attingere scuta 45. 40., ut libera supersint Cappellanis scuta 4. 28. Ex his favet Episcopus Instantiæ. *Ignotum esse, ait an culpa Oratorum decreverint fructus Legati, & si illi sint obligati ad supplementum. Nullum enim documentum reperitur in hac Cancellaria de antiquo reditu, quin immo nec ipsa erectio Cappellaniarum, quas Oratores possident. Votum post hæc ingenue expono unioni Cappellaniarum favens, quia nulla adest familiæ successio, & in sustinendis quatuor Cappellaniis tenuitas fructum sufficiens esse non potest. Pro minoratione onerum pariter justior mihi videtur petitio adeoque nihil addendum puto, quia in præsentiarum res variis vicissitudinibus sunt obnoxie.*

Alterutrum in allatis precibus postulant Cappellani *Ciottoni, & Reali* vel unionem Cappellaniarum, quarum hactenus suspensa est erectio, vel reductionem onerum. De utroque singillatim sub distinctis *dubiis* agendum erit.

De-

I. Dubium respicit unionem duarum Cappellaniarum, quæ ex testamento Sacerdotis Dominici Marini erigendæ sunt. Testamentum hujusmodi reciprocum fuit cum Sorore sua Rosa Marini, in quo testamento quatuor Cappellaniæ Ecclesiasticæ cum iisdem oneribus erant erigendæ. Verum Rosa Fratri superstes testamento derogavit, & per actum inter vivos duas Cappellanias laicales erexit ex suis bonis, diminutis oneribus, quæ in testamento erant præscripta. Dubitari fortasse poterit, num ipsa testamentum reciprocum defuncto jam fratre revocare posset. Sed cum leges civiles abhorreant a quacumque obligationis specie, quæ ultimas coarctet hominum voluntates, easque invariabiles efficiat, ut liquet *ex Text. in L.19. & Lex fin.C. de Pact. L. 4.C. de inutil.stipulat.*, ita fit, ut si duo conjunctim testati sunt, & in eadem scriptura, seseque invicem instituti sunt, non impeditur alter eorum testamento derogare, altero etiam inconsulto, & reluctante, & invito, ceu docet *Cujac. tom. 9.pag. mihi 89. litt. E. Pechius de testam. Conjug. lib. 1. Cap. 43. num. 1. Gratian. discept. Forens. Cap. 908. num. 7. Rot. cor. Seraphin. decis. 359. num. 22. cor. Dunozzet. Sen. dec. 296. num. 1. ad 4., & dec. 298. num. 1., & seq.*. Neque in re præsenti quidquam sibi vindicare potest favor causæ piæ. Nam Rosa non mutavit *substantiam* testamenti, & erectionem Cappellaniarum servavit, sed derogavit testamento quoad modum erigendarum Cappellaniarum, & onera, quæ ab ipsa diminuta sunt. Quare si manet *Causa pia* non impediebatur Rosa, quominus conditiones in testamento appositas suo arbitratu variaret.

Quare duæ tantum Cappellaniæ ex fundatione Sacerdotis Marini erigendæ sunt, quæ idcirco suspensæ hactenus manent, quia ex Rescripto S. M. Pii VI. *anni* 1794. earum ususfructus datus est Thomæ Verzelli, quoad ipse viveret. Harum Cappellaniarum unionem postulant Cappellani a Rosa instituti, & huic unioni suffragatur Episcopus, & exequtor Testamentarius *Joannes Philippus Filoni* ea potissimum de causa, quia diminuta sunt bona hæreditaria, nec ullus sit qui supplere teneatur, & onera graviora sint, quam præsens Cappellaniarum fructus ferre possit. Quare cum familiæ in jurepatronatu passivo vocatæ defecerint, vel si quæ super-

persit unioni assentiatur, hanc unionem expedire dicunt. Verum EE. PP. secum reputant num hæc unio utilis, vel necessaria sit, cum deficiente utilitate, vel necessitate S. Congregatio has uniones reprobavit ut ad *Text. in Cap, Tua nuper. De his, quæ fiunt a Prælat.* tradit *S. Congregatio in Eugubina Unionis* 23. *Januarii* 1802., *& in Spoletana Unionis* 2. *Junii* 1824.

Erigendæ ex Fundatione Sacerdotis Marini Cappellaniæ differunt toto cælo ab illis, quas ex fundatione Rosæ Marini possident Oratores, quippe quæ diversæ sunt naturæ, illæ nempe Ecclesiasticæ, istæ Laicales. Inter diversimoda onera sustinenda a Sacerdotibus futuris possessoribus utriusque erigendæ Cappellaniæ, quibus minime gravantur Laici Cappellani a Rosa fundati, adest etiam annualis distributio subsidii Dotalis favore pauperis Puellæ, & præsertim ex quibusdam Familiis expresse vocatis, quibus non est inferendum præjudicium. Ex his non parva exurgere videtur contra unionem difficultas, sed utilitas præterea Ecclesiæ abesse videtur, cum Cappellaniæ hujusmodi onus habeant annexum servitii Ecclesiæ in Missis, & Vesperis dierum Festorum. Si uniantur Cappellaniæ duo deficient Cappellani, & servitium negligetur. Neque necessaria videtur unio. Nam si ex tenuitate fructuum duæ Cappellaniæ ex fundatione Præsbiteri Marini erigi non poterunt, non idcirco necesse videtur unionem facere cum Cappellaniis a Rosa institutis, cum ex duabus illis Cappellaniis una fieri poterit reductis oneribus pro ratione redituum, ut propterea tres esse poterunt Cappellaniæ, duæ scilicet ex fundatione Rosæ, & una ex fundatione Sacerdotis Marini, si ita necessitas tulerit, defuncto Thoma Verzelli, cujus post obitum dilata est erectio harum Cappellaniarum, & tum sperandum saltem est futurum, ne bona Cappellaniarum adeo sint vectigalibus gravata, ut onera a Fundatione præscripta ferre non possint. Ad hæc accedit quod unio præjudicium inferret Patronis, & passive vocatis. Nam licet Exequtor Testamentarius Joannes Baptista Filoni, cujus est ex testamento prima nominatio, unioni assentuatur; attamen in successivis vacationibus jus nominandi reservatum est ipsis Cappellanis una simul cum Deputatis Orphanotrophii, qui, ut affirmant Episco-

pus, ab hac unione repugnant. Ex eo vero quod familiae contemplatae in patronatu passivo extinctae sint, vel si aliquis supersit consentiat unioni, non idcirco cessat passivus patronatus. Nam his defectis nominandi erunt ad Cappellanias pauperes Clerici ex cura Cathedralis, quibus per unionem hoc jus tolleretur. Haec prae munere meo observanda duxi. Nihilominus si EE. PP. unioni suffragari placeat, tum ad *modum* quod attinet, permittenda esset unio post obitum Thomae Verzelli, & impletis oneribus.

II. *Dubium* presefert instantiam reductionis onerum, quam faciunt Cappellani ex fundatione Rosae Marini, quatenus petitam in *primo dubio* unionèm consequi nequeant. Sane ex ipso Folio ab ipsis oblato constat, quod annuus reditus utriusque Cadpellaniae attingit *scuta* 49. 68. onera vero omnia comprehens eleemosina Missarum requirit expensam scutorum 45. 40. Nedum itaque fructus Cappellaniarum ferre possunt onera, sed supersunt etiam Cappellanis scuta 4. 28. pro servitio chori, quod diebus tantum festis, & quidem tempore Missae,& Vesperarum praestare debent. Tenue hoc omolumentum dicunt Cappellani, qui eleemosinas tamen Missarum precipiunt. Videant EE. PP. num haec idonea sit causa, ut onera reducantur.

Duo proponuntur Dubia

*I. An, & quomodo sit locus unioni in casu &c.*

Et quatenus *Negative*

*II. An sit locus reductioni in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

ABELLINEN. IRREGULARITATIS; *S*acerdos, & Canonicus Thomas Parziale defuncto Fratre suo domi recepit Nepotem ex eo Sabinum Parziale. De ejus educatione sollicitus a ludi Magistro cum accepisset puerum illum à Sodalibus adductum a bonis moribus divertere, & sero domi se recipere, Patruus eum saepe com-

commorabatur. Sed die 3. Novembris anni 1807. puer Parziale minime audiens longe post meridiem domum rediens increpatus acriter a Patruo in fugam se conjecit, & Sacerdos Partiale subita ira abreptus ferreum battillum in eum fugientem projecit, quo ictu percussus puer ad levam partem capitis illico occubuit. Dolore enectus Sacerdos Parziale se ipsum sponte detulit Curiæ Episcopali, eoque in carcerem detruso, audito Promotore Fiscali, & dato consensu a Nicoletta Guerriero Matre defuncti die 22. *Junij hujus anni* latum est decretum in Curia Episcopali = *quod carcer passus per Canonicum Thomam Parziale cedat in pœnam, verum ad exemplum aliorum exequatur sequens appuntamentum = Si è appuntato, che il sudetto Rev. Tomasso Canonico Parziale sia tenuto per lo spazio di mesi cinque da cominciare a decorrere dal giorno del presente decreto in una casa Religiosa destinanda da Mon ig. Vescovo con far costare a questa Curia Vescovile la sua esistenza in ogni fine di mese con valido documento di quel superiore locale, e ciò attenta anche l' età avanzata di esso Canonico Parziale.* Postquam omnia implevit Sacerdos Parziale, & e domo Religiosa egressus est, summopere dolens dispensationem *ab Irregularitate* postulat. Episcopus in sua Informatione narrata confirmans testatur, Præsbiterum Parziale *mitem aliunde esse, ac lenem, numquam alias ad hanc Episcopalem Curiam de quocumque vel minimo crimine delatum, quin immo bonis semper vita, fama, & moribus, ac proinde pro audiendis confessionibus utriusque sexus adprobatum.* Hinc censet Episcopus *Oratorem dignum, qui possit ab irregularitate, si quam pro hoc involuntario, & casuali contraxit reatu absolvi valeat, & dispensari.*

Agitur de homicidio commisso præter intentionem, & cum nulla culpa præcesserit casum, nec Sacerdos Parziale daret operam rei illicitæ, dubitari posset, num irregularitatem contraxerit secundum doctrinam *Fagnani in lib. 5. Decret. num. 38. de Accusat.* Verum cum homicidium commissum sit in æstu iræ pertinet ad casum dispositio *Can. Quia te 38. Distin. 50.*, quo cavetur = *Si vero ira Præsbiter commotus aliquem interfecerit, etsi animum occidendi non habuerit perpe-*

*tuo tamen depositus erit*. Quamquam vero ipse Sacerdos ira commotus sit ad correotionem Nepotis pravi ingenii; tamen correctionis modum excessit, *quoniam etsi voluntatem occidendi non habuerit, furor tamen, & indignatio, ex quibus motio illa mortifera prodiit in omnibus, & præcipuæ in Dei Ministris multipliciter inhibetur, atque damnatur*, ut iisdem verbis monet *Can. studeat* 39. *d. distin.* 30. Quocirca S. Congregatio ex homicidio commisso præter intentionem quidem, sed in æstu iræ irregularitatem contrahi censuit præcipue in *Feretrana Irregularitatis* 22. *Januarii* 1737. *in Brixien. Irregularitatis* 19. *Januarii* 1765., *Papien. Dispensationis* 24. *Julii* 1684.

Verum *iracundia* (ut ait D. Hieronymus in Epistola ad Decensium) *ab omni consilio, & mente deturbat, ut dum irascitur insanire creditur*, idcirco commiseratione dignus videtur Sacerdos Parziale, qui ad iram excitatus fuit ex malo Nepotis ingenio, & satis demonstravit ex animi sui dolore, ex spontanea sui delatione præter intentionem, & per casum Nepotem necasse. Cum vero leni, & miti ingenio semper fuerit, & bonis moribus, ad excipiendas confessiones approbatus, cum pænam luerit a Tribunali Ecclesiastico impositam, a matre defuncti consensum obtinuerit, in domo religiosa per quinque menses manserit, ab Episcopo comendetur, sane dispensatio a SSmo exoranda videtur, quomadmodum hisce concurrentibus alias statuit S. Congregatio *in Agrien. Irregularitatis* 31. *Maii* 1770.

Dubium proponitur.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

*Sess. 21. cap. 5. de Reform.*

SABINEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Joannes Rosati ex Oppido Montis Flavii, hærede instituta Sorore sua Dominica Antonia in postramis tabulis scri-

scriptis *anno* 1798. jussit, ut *morendo essa Domenica Antonia senza eredi legitimi, e naturali &c. vuole che premessa la stima si venda l'intera eredità, e se ne faccia celebrare in suffragio dell'anime dello stesso Testatore, e suoi genitori tanto bene spirituale*. Evenit, quemadmodum Testator præviderat, ut occubuerit Dominica Antonia nullis relictis hæredibus legitimis. Itaque exequtor testamentarius Benedictus Patinella, bona hæreditaria, quæ facta æstimatione attingunt scuta fere *tercentum*, vellet ea erogare partim in celebrationem Missarum, partim in Sacris Suppellectilibus, aliisque sebus quibus indiget Parrochialis Ecclesia, comparandis. Ut id ei liceat ex EE. PP. auctoritate postulat. Rogata est sententia Emi Episcopi, ex cujus *Informatione* inferius recensenda, omnia habentur necessaria ad controversiam dirimendam.

Putat Exequtor testamentarius, quod ex testamentaria dispositione Joannis Rosati necesse non sit erogare pretium hæreditatis in celebratione Missarum, cum Testator voluerit, ut ex eo *si faccia celebrare tanto bene*, nunquam vero Missas expresserit, *è li testimonj asseriscono, che la parola celebrare sarà stata scritta per oscitanza del Notaro, che stese il testamento non avendo avuto intenzione il testatore dire la parola celebrare*. Secus tamen censet Emus Episcopus in sua *Informatione*. *Non autem dubito*, inquit, *quin ea fuerit perspicua Joannis sententia, ut ex vendendorum bonorum pretio totidem Sacra piacularia celebrentur. Id primum indicat verbum ipsum celebrare, quod ad Sacra solummodo referri potest. Neque in pretio habendum esset siquid secus dicerent Testes, tum quia latet eorum depositio, tum quia supplex ipse libellus Benedicti Pattinella dubitans illos loqui testatur, tum quia scriptis tabulis, iisdemque morte confirmatis non est ab iis discedendum, quæ in tabulis ipsis aperte leguntur. Quibus accedit addidisse testatorem in suffraggio dell'anima predetta: quod quidem a rudi testatore usurpatum, nihilominus confirmat eumdem nonnisi Sacra celebrari voluisse, quibus potissimum animæ defunctorum expiantur. Neque aliud significant alia verba, tanto bene spirituale*.

Quatenus EE. PP. concedant in sententiam Emi Episcopi & censeant hæreditatem Joannis Rosati erogandam esse

in

in celebrationem Missarum , inquirendum superest num a SSmo impetranda sit commutatio voluntatis , u hæreditatis pars impendatur pro sacris supellectilibus , aliisque , quibus indiget Parrochialis Ecclesia . Quod Ecclesiæ necessitas causa sit idonea , cur voluntates defunctorum commutentur , statuit Sac. Congregatio *in Tudertina* 16. *Martii* , *&* *Pisauren.* 19. *Julii* 1783. Quod vero Ecclesia Parrochialis Montis Flavii indigeat , id sane eruitur ex *Informatione* Emi Episcopi . *Cæterum* , prosequitur , *hæreditatis vires haud excedunt scuta tercentum in bonis stabilibus , eademque Ecclesia Parrochialis tum aliis caret ornamentis , tum præsertim destituta est ære campano . Nec vero sive ex tenuissimis Parœciæ redditibus, sive ex miserrimi Populi symbola in his presertim rerum, & temporis angustiis opportuna præsidia parari possunt . In hoc rerum statu id unum est quod adiiciam nimirum si EE. VV. pro sua prudentia , & doctrina judicabant commutari posse voluntatem, ejusque hæreditatis partem tum piis usibus destinari fore id mihi, & populo pergratum .*

Dubium proponitur .

*An , & quomodo sit eroganda hæreditas Joannis Rosati in casu &c.*

*Die*

# *Die Sabbathi 21. Januarii 1809. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

Quatuor, quæ primo loco describuntur causæ, indecisæ superfuerunt ex *Folio* postremæ Congregationis *diei* 17. *Decembris* anni nuper elapsi: scilicet.

CIVITATIS CASTELLANÆ REDUCTIONIS SERVITII CHORI

*Sess.* 14. *Cap.* 12 *de Reform.*

*An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.*

In Decisis juxta modum nempe reducto servitio ab omnibus præstando ad dies festos etiam reductos tantum, & hebdomadam majorem donec augeantur fructus, & quoad præteritum consulant conscientiæ suæ.

TOLENTINATEN. UNIONIS, ET REDUCTIONIS CAPPELLANIARUM.

*Sess.* 14. *Cap.* 7. *de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus unioni in casu &c.*

Et quatenus *Negative*

II. *An sit locus reductioni in casu &c.*

Ad I. & II. Negative

*Sess. 14. Cap. 7 de Reform.*

ABELLINEN. IRREGULARITATIS.
*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Affirmative imposita aliqua saluiari pœnitentia arbitrio Episcopi

*Sess. 21. Cap. 5. de Reform.*

SABINEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.
*An, & quomodo sit eroganda hæreditas Joannis Rosati in casu &c.*

Affirmative erogatis duabus tertiis partibus in celebrationem Missarum, & quoad tertiam partem erogandam esse in usus Ecclesiæ Parrochialis arbitrio Emi Episcopi facto verbo cum SSmo

*Sess. 25. Cap. 4. de Reform.*

ROMANA MATRIMONII. Anceps iterum hæsit Resolutio huius causæ in postrema Congregatione *diei* 17. *Decembris nuper elapsi anni*, rescriptumque fuit = *Iterum proponatur cum iisdem* = Dignentur itaque EE. PP. reassumere præterita *Folia*, & deliberare.

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.*

Et quatenus *Negative*

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*

Ad mentem

APUA-

*Sess.* 21. *Cap.* 7. *de Reform.*

APUANA REDUCTIONIS. Postremis tabulis scriptis anno 1538. Sacerdos Leonardus Bongi Antonium Fratrem suum fecit hæredem universorum bonorum, certos tamen seposuit Fundos in agris *Jucani*, *Tendulæ*, *Cesarani*, *S. Terentii*, & *Fosdenovi* existentes, quos erogandos jussit per Exequtores testamentarios Præsbiteros Franciscum de Rappiis, & Peregrinum de Bastia vel *in maritando pauperes puellas*, vel *in dotando unum altare*. Obsequentes exequutores testamentarii defuncti voluntati *anno* 1541. Beneficium, seù Cappellaniam Ecclesiasticam instituerunt ad altare SSmi Crucifixi Ecclesiæ Parrochialis S. Terentii in Montibus, cujus Cappellaniæ jus nominandi sibi quoad viverent reservarunt, eisque defunctis pro *duabus vocibus* addixerunt *Operariis* Ecclesiæ S. Terentii, pro *tertia* vero Antonio Bongi testatoris fatri, atque ex hujus deinceps descendentibus, illi, qui major natu esset. Passivam vero nominationem dederunt Clericis descendentibus ex masculina stirpe ab ipso Antonio, cujus filium Clericum Franciscum pro primo Beneficiato nominarunt. Onera vero hujusmodi imposita sunt Beneficiatis, scilicet residendi in Oppido S. Terentii; celebrandi duas Missas singulis hebdomadis, & præterea omnibus diebus festis de præcepto; coadiuvandi Parochum in Sacris functionibus, ac horis Canonicis; parandi Agapem in Feria V. majoris hebdomadis quatuor pauperibus. Verumtamen indulserunt Exequtores Testamentarii Clerico Francisco Bongi primo Cappellano, *& non aliis Cappellanis futuris*, *ut si litteris operam dare vellet id libere facere possit per duos annos tunc continuos*, *dummodo per idoneum Sacerdotem in dicta Cappellania celebrare faciat singulo mense missam unam*.

Defuncto anno 1806. Sacerdote Joanne Baptista Lorenzoni, qui Cappellaniam tenebat, nominatus est tamquam ex masculina progenie Antonii Bongi agnatus Clericus Joseph Bongi, qui nunc supplicante etiam altero ex Patronis Petro Bongi supplicat pro reductione Missarum attenta diminutione redituum. Rogatus Episcopus de sua sententia hæc habet, quæ scitu necessaria sunt ad hanc instantiam dirimendam, scilicet: Ex Patronis duos Operarios adversari instantiæ quippe fundationi contrariæ: Parochum vero S. Terentii, & Petrum Bongi suf-

fragari Oratori, cujus petitio non adversatur testamento, in quo nullum certum onus Missarum præscriptum est: nullum præjudicium ex reductione Missarum ferialium venire Populo S; Terentii, qui tamquam agricola iis diebus in Agro versatur: codices accepti, expensique deficere, unde dedennalis calculatio fructuum Cappellaniæ erui possit: constare tamen ex quodam Adversario *ad annum* 1790. perceptos fuisse fructus in annuis scutis 45. 71. monetæ Romanæ, atqde hunc eumdem fructum postea liquidasse Peritos, & juramento affirmasse decessorem Cappellanum & Patronos: onera vero, impensasque ad ea implenda necessarias esse hujusmodi, ut requirant annua scuta 28. 13., scilicet pro eleemosina Missarum, quæ celebrantur diebus festis scut. 6., pro eleemosina Missarum ferialium sc.8., pro epulis pauperibus dandis, nec non pro manutentione Altaris, Sacrarum supellectilium, & domus Cappellaniæ scut. 2. 50. pro vectigalibus scut. 11.63.½: diminutos fuisse fructus non Cappellanorum culpa, sed ex tempestate *Anni* 1798. quæ cladem agris, arboribusque attulit: neminem esse qui supplere teneatur, cum fundi pro implemento onerum taxativè assignati sint: onera hactenus impleta omnino fuisse: pretia rerum, & vectigalia ab an. 1541., quo erectum est beneficium accrevisse: Cappellanum denique continuam residentiam præstare debere.

Ex his censet Episcopus, quod possit *indulgeri diminutio duarum Missarum, quæ celebrantur diebus ferialibus. Nam congruum est, quod Beneficiati, qui Ecclesiæ inserviunt, mercedem proportionatum labori habeant. Exoptaret hodiernus Cappellanus Raphael Bongi, quad donec ad Sacrum Presbiteratus Ordinem promoveatur, missas duodecim pro singulo anno per unum Sacerdotem in dicta Cappella celebrare faciat, & sic unam Missam in singulo Mense prout indultum fuit per exequtores testamentarios Clerico Francisco Nepoti Testatoris.*

Ex qua quidem Episcopi informatione non satis constabat de eleemosina vere necessaria pro implendis oneribus Missarum. Inverosimile enim videbatur, quod pro duabus Missis hebdomadalibus, seu pro annuis Missis *quatuor supra centum* requirebantur scuta tantum *octo*, ac scuta *sex* pro Missis festivis, seu annua *octoginta duo*. Quare rescriptum fuit die 7. Maii 1808. = *Docto per Oratorem*

*rem de eleemosina necessaria providebitur* . Affert itaque Orator testimonjales litteras Episcopi in quibus affirmat, *perdifficile esse attenta deficientia Presbiterorum maxime in dicto loco S. Terentii & multo magis in futurum habere Sacerdotem satisfacientem, nisi augeatur eleemosina pro qualibet Missa etiam usque ad duos Julios.*

Quamquam Sacerdos Leonardus Bongi Testator nullum certum præscripserit Missarum numerum, immo nec etiam onera Missarum, non idcirco tamen reduci possunt onera Missarum, quæ in fundatione præscripta sunt. Etenim ipse arbitrio Exequtorum permisit, ut fundi designati erogarentur *in dotando altari*, propterea que poterant ipsi Exequtores arbitratu suo onera imponere, quæ perinde habenda sunt, ac si a Testatore præscripta fuissent. Nefas est igitur a fundatione recedere, nisi justa subeat causa, cumque onerum petitur reductio ex imminutis reditibus, eo redire debet EE. VV. judicium, utrum fructus Cappellaniæ sufferendis oneribus sint pares: si non, tum immerito repugnant reductioni nonnulli ex Patronis, nec earum dissensus instantiæ nocet: Si etiam; tum petita reductio deneganda est, quemadmodum semper facere consuevit S. Congregatio, si emolumentum par omnino est oneri, & præcipue *in Casalen. Reductionis Missarum* 17. *Decembris* 1726.

Jam vero si conferantur rationes accepti, expensique fronte prima fructus Cappellaniæ expensas onerum superare videntur. Nam presentes fructus attingunt scuta 45. 71., expensæ vero pro oneribus scuta 28. 13., ut libera pro Cappellano supersint scuta 17. 58. Hæc vero quantitas satis esse videtur Cappellano, ut Parochum coadiuvet atque resideat, cum præterea dum per se ipsum celebret, Missarumque elemosinas percipiat.

Verum observandum est quod inter expensas adnotantur scuta *quatuordecim* pro elemosina 186. Missarum, scilicet scuta *octo* pto missis 104. ferialibus, & scuta *sex* pro Missis 82. festivis. Tenuis est hæc eleemosina, & longe citra modulum currentis, & veteris eleemosinæ manualis, cum vix oboli octo, ac ne vix quidem darentur pro singulis Sacris operandis. Reque vera Episcopus, qui affirmat usu venisse antea hanc eleemosinam, æque testatur nunc sufficientem non esse attento exiguo numero Præsbiterorum, & requiri saltem *julios duos* pro eleemosina

sina singularum Missarum. Quare ad hanc taxam expensa pro eleemosina 186. Missarum constituenda esset in scutis 36. 80. propterea que alia scuta 22. 80. præter jam adnotata scuta 14. requireret eleemosina missarum. Hac retenta norma, jam pro eleemosina Missarum requiruntur sc. 36. 80.; pro æpulis pauperibus dandis, nec non pro manutentione altaris, & S. Supellectilium, & domus sc. 2. 50., pro vectigalibus sc. 11. 63., quæ summæ in unam collectæ attollunt *exitum* ad sc. 50. 93., ut propterea superet *intritum* scutorum 45. 71. in scutis 4. 22. quæ Cappellanus de proprio impendere deberet ad onera implenda, & præterea præstare sine emolumento residentiam, & Parocho assistentiam.

Si ex his conseant EE. PP. dandam esse reductionem, tum statuendum erit, quæ onera sint reducenda. Si ad ordinem scripturæ attendamus, unde tacita conjectura voluntatis fundatorum exprimi potest, primum quidem onera Missarum imposita sunt, deinde onus coadjuvandi Parochum, & tandem æpularum pauperibus. Quare ex regula sæpe alias tradita a S. Congregatioae, & præcipue in *Spoletana Reductionis Missarum* 22. *Augusti* 1795. primum alia onera, quam Missarum reducenda sunt. Verum, leve est onus exhibendi æpulas pauperibus, neque ullam Cappellano afferret utilitatem. Videant igitur EE. PP. num utilius sit reducere onus coadjuvandi Parochum, seu potius Missas feriales, quemadmodum proponit Episcopus, cum ex earum reductione nullum populo incommodum obveniat.

Ad *modum* vero quod pertinet, concedendæ reductionis postulat Clericus Bongi Orator, ut quoad ipse ad Præsbiteratum ascendat sibi liceat uti facultate a Fundatoribus concessa, scilicet celebrandi per alium Sacerdotem unam Missam singulis mensibus. Verum hanc facultatem Fundatores indulserunt uni tantum Francisco Bongi primo nominato, & aperte negarunt ceteris Cappellanis, atque illi quidem indulserunt per duos annos si litteris operam daret. Quare non videtur hæc facultas trasferenda ad alium casum contra mentem Fundatorum. Sed cum ad Præsbiteratum adhuc Orator ascendere debeat, studiis quoque eum vacare oportet. Videant igitur EE. PP. num ex hac justa causa aliquid sit ei indulgendum. Nam ipse per alios Missas implere debet, cum præsbiter non sit, & si studiis operam dare debet, ne-

necessariæ ei sunt expensæ. Quare ad certum tempus suspendi posse videtur aliquis Missarum numerus, ut deinde certa statuatur Missarum reductio pro conditione temporum, in quibus sperandum futurum, ut vectigalia diminuantur.

Dubium proponitur.

*An, & quæ onera, & quomodo sint reducenda in casu &c.*

Non proposita cum Sequentibus.

*Sess.24.Cap.12 De Reform.*

PLACENTINA JUBILATIONIS. Carolus Scriban Rossi in Cathedrali Ecclesia servitium primum obivit per annos septem, qua Canonicus Theologus, & postea Præposituram consequutus per alios quadraginta annos in eodem servitio perseveravit. Nunc ætate gravis annorum septuaginta quinque jubilationem postulat. Rogatus Episcopus de sua sententia audito Capitulo refert: *Horis nocturnis fere numquam Orator interfuit, diurnum vero Servitium continuo, & laudabiliter explevit, annis septem exceptis, quibus sub Apostolicæ Sedis indulto ab horis diurnis, ut plurimum vacavit ratione ejus Officii Vicarii Generalis defuncti Episcopi. In hoc diuturno temporis spatio plures partes laudabiliter sustinuit Orator Theologi scilicet, Judicis & Examinatoris Synodalis, Visitatoris apud Episcopos, & Vicarii una & altera ex postremis Sedis Episcopalis vacationibus Capitularis. Hæc omnia cum viri ætate, & dignitate conjuncta, specialem Oratori gratiam ad id, assentiente amplissime Placentinæ Ecclesiæ Capitulo, promeruisse videtur.*

Annos septem, & quadraginta servitium præstitit Orator. Sed *an continuo*, & *laudabiliter* expleverit dubitatio oritur, quibus deficientibus requisitis indulta hujusmodi concedi non solent, ut semper statuit S. Congregatio, & novissime *in Cusentina Jubilationis* 27. *Junii* 1805., & *in Nullius Farfen Jubilationis* 18. *Augusti* 1806. Nam quam-

quamquam per septem annos fere semper a choro abfuerit impeditus munere Vicarii Generalis; attamen indultum impetravit pro diebus, & horis non impeditis, quemadmodum concedi solet iis, qui Vicarii Generalis officium exercere debent. Qua ex re videtur ab Oratore præstitum continuum quadragenarium servitium, cum indulta concessa ratione muneris pro diebus, & horis nihil detrahant de quadragenario servitio, ut jubilatio impetrari possit ab iis, qui indultis hujusmodi durante quadragenario servitio usi sunt, quemadmodum defenivit S. Congregatio *in Dubia Jubilationum* 17. *Decembris* 1718. *ad I. Dubium* in quo interrogati EE. PP. = *An indulgenda sit jubilatio Canonicis, & Beneficiatis qui spatio* 40. *annorum Ecclesiæ inservierunt, cum debitis licentiis, & indultis abfuerint ab Ecclesiis, vel in causa infirmitatis, vel ex causa studiorum vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel ratione munerum pro quibus obtinuerunt indulta abessendi pro diebus, & horis, vel indulta simpliciter & absoluta abessendi ab Ecclesia durante officio ipsis commisso* = responderunt = *Affirmative quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis & indultis, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel cum indultis abessendi pro diebus, & horis. Negative autem quoad absentes ex causa studiorum, & quoad habentes indulta absendi absolute durante officio.*

Utrum vero Orator *laudabile* servitium objerit, de hoc valde dubitari potest. Nam Episcopus affirmat, quod *horis nocturnis* fere numquam interfuit, quod forsan interpretandum est numquam interfuisse ad matutinum, quod *ex tribus nocturnis* constat. Hæc vero omissio secumfert in universo quadragenario servitio plurima fallentiarum puncta, quæ laudabile servitium inficiunt. Contra vero observandum est Oratorem non inservisse Ecclesiæ per annos quadraginta tantum, sed per annos *quadraginta septem*, ut in his septem annis ultra quadraginta, plurima, & fortasse omnes fallentias suppleverit. Idcirco igitur Vos EE. PP. consultos volui, utrum in casu ad impetrandum indultum jubilationis satis Oratori sit supplevisse fallentiis per annos septem ultra quadragenarium servitium, an vero sciscitandus sit Episcopus, ut inspectis fallentiarum libris referat, utrum Ora-

tor

tor omnino impleverit fallentias commissas in quadragenario servitio cum legitimo carebat indulto.

Dubium proponitur.

*An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.*

CUSENTINA IRREGULARITATIS. Clericus Accolitus Fortunatus Caputi in præterito tumultu, quo regio illa afflicta est, arma sumpsit, & cum satellitorum manu per oppida discurrens multos occisos fuisse constat, multos sauciatos, Ecclesias direptas, domus vastatas. Sedato tumultu ipse Caputus damna illata, ut potuit, refecit, & a Tribunali laico veniam impetravit. Postea Seminarium ingressus, & pænitens factus supplicat pro dispensatione eb irregularitate, & absolutione a censuris. Episcopus narrata confirmat, & facinora ab Oratore patrata, licet incertum sit num aliquem mutilaverit, vel occiderit. Addit = *hoc seminarium ingressus propriæ santificationi, & litteris incumbens perseverat adhuc in incæpta via. Patres Emi qui primi Pastoris Officium exercetis, & non vultis mortem peccatoris sed ut convertatur & vivat, exurgite in adiutorium ejus, ut gaudere possitis de sua ereptione a potestate tenebrarum, & de plena victoria suarum passionum. Peccatum suum grande fuit, &* magnum nimis, *sed misericordia Domini immensa est, interminabilis, infinita. Suscipite igitur PP. EE. hanc dimissam supplicationem meam.*

*Sess. 14. Cap. 7. De Reform.*

Cum Orator arma sumpserit, atque forsitan ut Dux inter armatos versatus sit, qui cædes, rapinas, vastitatem Ecclesiarum commiserunt, irregularis procul dubio est, licet incertus sit, an aliquem ipse mutilaverit, vel occiderit. Nam certe quidem dedit operam rei illicitæ, propterea que saltem in causa homicidia commisit, quemadmodum post *Tex. in Cap. Præsbiterum* 1. *De homicid.* definivit Sac. Congregatio *in Januen. Irregularitatis* 11.

 Maii

*Maii* 1793. Fatetur vero se violasse immunitatem Ecclesiasticam, ut certum sit censuris fuisse irretitum.

Tridentinum autem *Sess.* 14. *Cap.* 7. *de Reform.* perpetuo arcet ab altare promovendos, qui irregulares sint ob voluntarium homicidium. Concurrit quidem vitæ quædam emendatio,& comendatio Episcopi, in quibus terminis etiam promovendis conceditur dispensatio *in Spoletana* 18. *Maii* 1776., *& in Asculana Irregularitatis* 10. *Julii* 1790. Verum non concurrit Ecclesiæ necessitas, de qua nil meminit Episcopus,neque vitæ constans, & singularis emendatio, cum Orator vivat adhuc censuris irreritus, ut mirum certe sit, quod in Seminario fuerit receptus, atque retentus. Superabbundat quidem misericordia Domini, ubi abbundat peccatum. Verum secum reputent EE. PP. num ex hoc concedenda ei sit absolutio a censuris, ut in communione vivat, & salutem suam æternam oporetur,& quatenus perpetuo non sit arcendus ab Altare, saltem,ut promoveri queat,majora signa constantis emendationis exigenda sint ab eo qui anno 1806. tot facinora patravit.

Dubium proponitur.

*An sit consulendum SSmo pro absolutione, & dispensatione in casu &c.*

*Sess.* 21. *Cap.* 7. *De Reform.*

ASSISIEN. REDUCTIONIS. Vivens Barbara Morelli publico stipulato Donationis Instrumsnto *die* 16. *Aprilis* 1700. instituit *un officiatura mera laicale ossia un legato con l'obligo di messe cento all' anno a favor di Giuseppe Nuti* cui filios masculos prius, deinde fæminas, tandem extraneos substituit, certis præscriptis legibus, quæ rem præsentem non tangunt. Hæc vero scire præstat: præscripsisse celebrationem centum missarum singulis annis perficiendam ad elemosinam unius julii a Cappellano ad nutum amovibili nominando a Josepho Nuti, eique substitutis: assignasse nonnullos fundos pro hac *officiatura*, quos inter,domum in Civitate As-

Assisii positam, quæ a Cappellano pro tempore esset incolenda : demum prohibuisse alienationem fundorum, qui pro dote erant assignati. Sex fere abhinc annis occubuit Barbara Morelli, & Joseph Nuti paupertate coactus Missas celebrare omisit. Scrupulis tandem agitatus tria postulavit, reductionem nempe Missarum quoad futurum, absolutionem quoad præteritum, simulque, ut portionem domus pro fundo *officiaturæ* a Barbara relictæ cedere posset Sacerdoti Josepho Baldaccinio, qui celebrationem Missarum centum perpetuo implere spondebat. Verum ex Rescripto *diei* 12. *Novembris* 1808. exquisita est Informatio Episcopi quoad reductionem, & absolutionem quoad præteritum, rejecta prorsus instantia cessionis portionis domus, quæ instantia eo spectabat, ut Joseph Nuti abiiceret onus Missarum, & liberos redderet cæteros fundos pro celebratione obstrictos, quos fundatrix alienare prohibuerat.

Porro Episcopus testatur Josephum Nuti, ejusque filios *adeo esse pauperes, ut licet nobiles victum sæpe, & vestitum fere ostiatim quæritent, ultra quam quod dicuntur alienasse nonnulla bona ad dictum legatum pertinentia, ut legatum ipsum difficulter impleretur, sicuti numquam impleverunt a morte Testatricis, quæ accidit sex circiter ab hinc annis, licet per me semel, & iterum moniti, semperque paupertatem, qua premuntur, causantes. Annuus redditus bonorum est in totum fere septuaginta scutorum annuorum. Missæ sunt centum annuæ, quæ a testatrice æleemosina unius julii pro qualibet Missa taxantur, & nunc pro dicta æleemosina non amplius inveniuntur Sacerdotes, qui eas celebrare velint, cum multis ab hinc annis inducta sit consuetudo, quod eleemosina manualis Missarum sit obulorum quindecim. Ut animi mei sensum aperiam putarem ad exonerandam conscientiam pauperrimi Josephi Nuti, absolutionem illi impertiendam a non adimpleto usque adhuc legato Missarum.*

Cum rejecta sit instantia super cessione portionis domus, quæ assignata fuit inter fundos Cappellaniæ, restant aliæ duo instantiæ super reductione quoad futurum, atque absolutione quoad præteritum, de quibus agendum erit sub duobus distinctis dubiis. Poscitur reductio, quia eleemosina *julii unius* a Fundatione præscripta accreverit ad

obolos *quindecim*, tum etiam quia Joseph Nuti, in cujus gratiam hæc officiatura instituta est, nimia paupertate laboret. At vero eleemosina quantumvis aucta sit; non desunt tamen fructus unde centum missæ ad currentem manualem impleri possint. Hæc enim onera requirerent expensam scutorum *quindecim*, & fundi pro Officiatura assignati dant annua scuta *septuaginta*, ut scuta *quinquaginta quinque* libera supersint. Nec illud quærendum est utrum fundatio sit *taxativa*, vel *demonstrativa*, ita ut Missæ diminui, an non debeant. Hujusmodi enim investigatio instituitur, ubi fructus ad celebrationem destinati deficiunt, ita ut, si *taxativa* sit fundatio, diminuatur onera, sin vero *demonstrativa*, ad supplementum compellantur obligati ex doctrina *Benedicti XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *Cap. ultim. num.* 23. quam sequuta est S. Congregatio in *Albanen. Reductionis* 21. *Januarii* 1783. Ubi vero fructus satis sint ad celebrationem, ut in casu, numquam reducuntur Missæ, licet aucta sit eleemosina in Fundatione præscripta. Fundatores enim non censentur taxasse eleemosinam, sed se conformasse ad illam taxam, quæ vigebat, dum officiaturam instituerant.

Paupertas vero Josephi quantacumque sit, non potest evertere Fundatricis voluntatem, & asperum nimis esset, si reducerentur Missæ, cum fructus supperent, immo abbundent ita, ut Joseph majorem partem liberam percipiat. Sed quoniam ex hac paupertate Joseph impos est, ut neglectum in præteritum adimplementum suppleat, idcirco a Sanctissimo exoranda videtur absolutio, quemadmodum semper factum est concurrente impotentia obligati, ut in *Portugallen.* 20. *Februarii* 1796. Ne vero quoad futurum ex paupertate Josephi periculum sit, ut inadimpleta jaceat Officiatura, videant EE. PP. si injungendum sit Episcopo, ut deputet Ecclesiasticum Administratorem, qui impletis ad formam fundationis Missarum oneribus ad manualem, superextantes redditus Oratori consignet.

Duo proponuntur dubia.

I. *An sit locus reductioni in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Die

*Die Sabbathi 18. Martii 1809. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

APUANA REDUCTIONIS

*Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

*An, & quæ onera, & quomodo sint reducenda in casu &c.*

Dilata suspensis tantum missis ferialibus ad biennium, nisi prius Orator ad Sacerdotium promoveatur, dummodo interim studiis vacet, & postea recurrat docto

PLACENTINA JUBILATIONIS

*Sess. 24. cap. 12 de Reform.*

*An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.*

Affirmative attentis peculiaribus circumstantiis facto verbo cum SSm̄o.

CUSENTINA IRREGULARITATIS

*Sess. 13. cap. 7. de Reform.*

*An sit consulendum SSm̄o pro absolutione, & dispensatione in casu &c.*

Affirmative quoad absolutionem a censuris in reliquis expectet & det majora signa pænitentiæ, & constantis emendationis.

ASSI-

*Sess. 2. cap. 7. de Reform.*

ASSISIEN. REDUCTIONIS

I. *An sit locus reductioni in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative

Ad II. Affirmative celebratis quinque Missis, & ad Mentem. Mens est ut scribatur Episcopo, ut deputet administratorem, qui impletis oneribus ad formam fundationis ad manualem superextantes redditus Oratori consignet, tum etiam fundos ad legatum pertinentes ab Oratorem alienatos recuperare curet.

*Sess. 6. cap. 4. de Reform.*

MELEVITANA SUSPENSIONIS. Causa hæc pertinet ad *Folium* Congregationis *diei* 4. *Februarii* 1804. benignè ab EE. VV. reassumendum. Tum enim Laurentius Farugia Religiosus Professus Magistralis obedientiæ S. Ordinis Hierosolimitani promotus ad S. Ordines ab Episcopo Oppidi in Calabria cum litteris dimissorialibus Locumtenentis Magni Prioris Messanensis, cum suspensus fuisset ab Episcopo suo Melevitano reclamavit ab hac suspensione, & saltem ab hac S. Congregatione *rehabilitationem* deprecatus est. Propositis itaque ea die duobus Dubiis *I. An sit servanda suspensio in casu &c.* & quatenus *Affirmative II. An, & quomodo sit concedenda rehabilitatio in casu &c.* responsum fuit Ad *I. Affirmative* Ad *II. Recurrat commendatus ab Episcopo peracta pœnitentia, nec non ad Mentem. Mens est quod Episcopus referat, utrum Orator post ordinationem ministraverit, & celebraverit.*

Quamquam Orator vix elapso anno iterum pro rehabilitatione preces obtulerit; attamen rejectus fuit per Rescriptum diei 27. Aprilis 1805. = *In Decretis sub die* 4. *Februarii* 1804. Iterum supplicante ejus præces die 12. Septembris 1807. remissæ fuerunt Episcopo pro Informatione. Sed cum interea vacasset Sedes Melevitana a novo Episcopo Litteræ Informationis datæ sunt die 30. *Julii* 1808., quæ ob publica rerum discrimina nonnisi ad præsens allatæ sunt. In his *pro certo affirmat Oratorem duobus circiter ab hinc annis constanter resipuisse.*

*se. Immutato enim exteriori personæ cultu, festivis diebus Ecclesiæ laudabiliter inservit, litterarum studio dat operam, factoque privato experimento super ejus idoneitate requisitis qualitatibus ad Ecclesiastica ministeria sufficienter præditus reperitur. Cumque ipse diutinam hactenus sustulerit suspensionem a Divinis, exercitiaque spiritualia in Religiosa Domo a me destinata per octiduum jam peregerit, neque in susceptis ordinibus ministraverit eumdem propterea Apostolica gratia pro rehabilitatione ad Sacra peragenda dignum esse putarem.*

Reproponitur Dubium

*An, & quomodo sit concedenda rehabilitatio in casu &c.*

Affirmative renovatis exercitiis spiritualibus arbitrio Episcopi facto verbo cum Sanctissimo.

PRÆNESTINA CONGRUÆ. Recens est in Oppido Paleani fundatio Paræciæ S. Annæ, quippe quæ erecta fuit anno 1791. ex unione duarum Cappellaniarum, quarum una instituta fuit in Ecclesia Collegiata S. Andreæ ejusdem Oppidi, altera ad Altare S. Caterinæ (quo tempore incertum est, siquidem latet fundatio) altera ad Altare S. Mariæ Carmeli ex codicillis a Joanne Dominico de Francisci *anno* 1688. scriptis. Utriusque itaque Cappellaniæ bona, quæ in fundis rusticis, atque in censibus consistunt unita pariter novæ Paræciæ S. Annæ applicata fuere in congruam Parochi cum onere adimplendi Cappellaniarum onera. Modernus Parochus Sacerdos Arcangelus Rossi conqueritur diminutos fuisse redditus, atque idcirco supplicat, ut per reductionem onerum deficienti suæ congruæ consulatur. Emus Episcopus, cujus Sententia rogata est, remittit Statum Activum, & Passivum Cappellaniarum, atque Paræciæ ab ab ipso Parocho non ex calculo decennali, sed ab Inventario desumptum scilicet: Cappellania Sanctæ Caterinæ olim dabat annua *scuta* 23. 48. quæ percipiebantur

*Sess. 24. cap. 13. de Reform.*

tur ex responsionibus frumenti, musti, & olei. Ex iisdem responsionibus percipiebat quotannis Cappellania S. Mariæ Carmeli *scuta* 65. & præterea *scuta* 12. 75. ex fructibus Censuum, ita ut ex utraque Cappellania constituebantur annui reditus in scutis 101. 23. Nunc vero accreverunt ad scuta 111, 90. atque hoc augumentum provenit ex aucto pretio frumenti, & musti. Observandum tamen est quod fructus censuum, qui olim percipiebantur in annuis scutis 12. 75. decreverunt nunc ad annua scuta 5. 50., atque idcirco decreverunt, quia ut affirmat Emus Episcopus *census extincti fuerunt in moneta papiracea demonetationi jam proxima, quin antea eam investire datum sit. Nulla equidem utilis experiundæ actionis ratio affulgere mihi videtur, alterius vero census, qua antiquissimi, ne fundus quidem reperitur.*

Hos Cappellaniarum fructus in annuis scutis 111. 90. percipit Parochus S. Annæ, atque etiam exigit ex pensione annua scuta 15. atque ex incertis *scuta* 12. ut in totum habeat pro congrua annua scuta 138. 90. Onera vero attollit ad annua *scuta* 113. 30. ut ei libera supersint *scuta* 25. 60. Veruntamen inter onera adscribit partitas hujusmodi, quæ observandæ sunt: Scilicet: *Messe numero cinque la settimana* (quæ pro Cappellaniis unitis celebrandæ sunt) *ed una pro Popolo in tutte le feste scudi* 34. 40. *Al Seminario scudo* 1. 10. *Per Messa cantata bajocchi* 30. *Per una libra di cera alla Sagrestia della Collegiata bajocchi* 50. Quæ onera ex fundatione Cappellaniarum implenda sunt. Onera vero pro exercitio Curæ sunt: *Al Sotto-Curato scudi* 14. *Al Sagrestano, scudi* 6. *Per lemosine, ed altre spese scudi* 6. *Per oglio, Cera, Ostie, Suppellettili scudi* 30. Tandem *per Dativa, e prestito scudi* 20. Ex his coalescit integra summa onerum in scutis 113. 30.

Porro addit Emus Episcopus *Audito Excellentissimo Patrono, hic aliud mihi non respondit, nisi quod in fundatione congrua nova Parœcia ditata fuit, sique ex actuali temporis acerbitate in deterius redditus abierunt, communis hæc dici calamitas potest. Cæterum meo se judicio refert, num in casu quo de agitur, proponere EE. VV. credam aliqualem reductionem numeri*

*Mis-*

*Missarum pro Populo. Ego autem cum in præsentiarum videam congruam sc. 23. 60. imparem omnino esse muniis Parrochialibus obeundis, nec ex oneribus in dicto statu activo, & passivo descriptis aliquod inveniam reductioni obnoxium, nec beneficia simplicia actu saltem vacantia adsint, nec per Parochianorum Symbolum, aut collectas utpote paupertate laborantium subvenire Parocho posse prævideam, in sensu essem, ut tres ex quinque Missis hebdomadalibus suspenderentes firmis remanentibus Missis per Populo. Cæterum de integra celebratione Missarum quoad præteritum EE. VV. certas reddere possum.*

Comparatione instituta inter redditus Paræciæ, qui attingunt *scuta* 138., & *obolos* 90., atque onera, quæ præseferunt summam *scutorum* 113. 30. certe quidem libera superessent Parocho annua *scuta* 23. 60. ex quibus certe sibi alimenta parare non potest. Nam congrua tanta esse debet, quanta sufficiat pro Rectoris sustentatione ceu docuit S. Congregatio *in Spoletana Congruæ* 12. *Februarii* 1803. Quamquam vero ex mente Concilii Tridentini *Sess.* 24. *Cap.* 13. *de Reform.* taxata sit congrua in scutis *centum* pro Rectore ab oneribus immunibus, attamen ex institutione minor esse potest, dummodo tanta sit unde Rector se alere possit, ut censuit S. Congregatio *in Derthonen. Dismembrationis* 28. *Januarii* 1736. ad tramites Constitut. S. M. Pii V. *Ad exequendum* Quare hæc duo inquirenda erunt; quantum scilicet Parochus S. Annæ libere percipiat ex sua congrua, deinde, num illud quod percipit, satis ei sit ad sustentationem.

Parum revera fidendum videtur calculo a Parocho exhibito, quod ex Inventariis derivat. Verum cum major pars reddituum hujus paræciæ in responsionibus frumenti, musti, & olei consistat, quæ pro varietate tempestatuum, & pretii majora, minorave sunt; profecto necesse esset determinare veram reddituum quantitatem ex calculo decennali, cui in hisce liquidationibus plurimum semper tribuit S. Congregatio, & præcipue in *Anagnina Augumenti Congruæ* 17. *Maii* 1731. Neque etiam recte se habet calculus a Parocho exhibitus quoad onera, quæ in eo recensentur. Nam inter onera

adnotatur eleemosina pro quinque Missis hebdomadalibus, quæ ex fundationibus Cappellaniarum sunt celebrandæ, atque præterea stipendium pro Missis pro Populo, quorum neuter congruam minuit. Nam Missas pro Populo Parochus ratione pastoralis officii celebrare, easque etiam sine stipendio applicare debet, ut *ex Constit Benedicti XIV. Cum semper oblatas* docuit S. Congregatio *in Neocastren. Missæ pro Populo* 26. *Januarii* 1771., *& in Cassanen. Missæ Conventualis*, *& pro Populo* 22. *Novembris* 1794.

Pro Missis vero ex Cappellaniarum fundationibus celebrandis Parochus nullam impensam facit, sed ipse eas celebrat, & reditus omnes Cappellaniarum percipit, qui multum eleemosinas necessarias excedunt, & ideo unitæ fuerunt Paræciæ Cappellaniæ, ut absque præjudicio fundationis per Parochos pro tempore adimplerentur onera, & exhuberantibus fructibus aliquod ipsi levamen perciperent. Quare si hæc una partita pro eleemosina Missarum in scutis 34. 40. deleatur ex statu passivo; jam hæc unita summæ scutorum 25. 60. quæ ei libera restant ex oneribus, perciperet annua scuta 60. pro congrua. Quod si hæc summa tenuis videatur pro conditione temporum duo ponderanda sunt. Primum quod Parochus ab institutione Paræciæ hanc congruam acceptavit, nec ab anno 1791. reclamavit tenuitatem congruæ, ut propterea supplementum illius petere non posse videatur, nisi probet diminutos fuisse redditus pro congrua assignatos ut post *Ter. in Can. Nemo de Conserat Distin.*1., tradit *Robuff. de congrua num* 90 *& Sac. Congregatio in Ferentina Unionis* 20. *Februarii* 1802. Alterum est quod licet nonnulli census deperditi sint, nihilominus redditus acereverunt aucto pretio frumenti ita ut nunc fructus certi Pareciæ ascendant ad *scuta* 111. 90., qui anteactis temporibus *scutà* 101. 25. attingebant.

Si hæc, quæ pro meo munere adnotanda censui, EE. VV. non arrideant, tum sane nullo alio modo consuli potest augumento congruæ, quam per reductionem trium Missarum hebdomadalium, quemadmodum Eminentissimus Episcopus proponit. Nam alia deficiunt media, nec adsunt beneficia simplicia, quæ Paræciæ uniri pos-

possint, nec Populus, qui paupertate laborat, Parochi necessitatibus per symbolam subvenire potest. Non insolens vero est, ut ad succurrendam Paræciarum indigentiam Missarum onera redueantur *ut in Nucerinæ Paganorum Reductionis 3. Septembris* 1778. Videant tamen EE. PP. num potius suspendenda sit celebratio Missarum ad certum tempus, cum interea sperandum sit futurum, ut vectigalia diminuantur.

Dubium proponitur.

*An, & quomodo sit providendum augumento Congruæ in casu &c.*

**Affirmative juxta Votum Emi Episcopi ad biennium**

PERUSINA DISPENSATIONIS. Ex collatione Apostolica consequtus est Sacerdos Joannes Pressio, in utroque jure Doctor Præbendam Theologalem in Cathedrali Perusina, ea tamen lege in Litteris Apostolicis de more expressa, ut infra annum gradum Magisterii in S. Theologia suscipere teneretur. Postulat nunc, ut, quoniam in utroque jure sit Doctor, dispensetur a suscipiendo gradu Magisterii in S. Theologia, quemadmodum Litteræ Apostolicæ præscribunt. Episcopus Oratorem, quem in suum Vicarium Generalem jam adsciverat, plurimum commendat, atque affirmat = *ipsum anno* 1788. *Lauream doctoralem in utroque jure in hoc augusto Lyceo fuisse assequutum, eamdemque Lauream erant assequuti bini immediati ejus antecessores Canonici Joannes Maria Perotti, & Joannes Baptista Salvatori, qui supradicta in utroque jure Laurea donati, nunquam in Sacræ Thologiæ magisterio, laureaque muniti exiterunt. Capitulum Oratoris instantiæ nullum obicem op-*

*Sess. 5. Cap. 1. De Reform.*

 po-

*ponit, immo libentissime assensum præstat. Hinc essem in sensu, ut Orator quoque ab assequtione Laureæ Doctoralis in Theologia eximi queat.*

Postquam ex Constitutione S. M. Benedicti XIII., quæ incipit *Pastoralis Officii* sancitum fuit Præbendam Theologalem sempèr conferri debere Doctori in Sac. Theologia, vel illi qui infra annum in eadem facultate Lauream suscipiat, S. Congregatio definivit non sufficere de jure Canonicis Theologis doctoratum in utroque jure. Nam in *Dubium Præbendæ Theologalis* 5. *Junii* 1723. rogati EE. PP. = *An provisis de Præbenda Theologali cum clausola de assumendo infra annum gradum Magisterii in S. Theologia in aliquo approbata Universitate de jure sufficiat quod Magisterium intra annum recipiant in jure canonico in aliqua approbata Universitate* = responderunt = *Negative, & habebitur ratio in casibus particularibus*. Ex quo ipso satis patet, quod necessaria sit dispensatio ex gratia Apostolica, quemadmodum Sac. Congregatio dispensationem concessit *in Vigilien.* 27. *Septembris* 1681. In re præsenti suadere dispensationem videtur observantia, cum jam duo prædecessores Canonici Theologi in Cathedrali Perusina hanc veniam obtinuerint, ut eis satis esset Doctoratus in utroque jure, ut præbendam theologalem retinere possent.

Dubium proponitur.

*An sit concedenda dispensatio a suscipiendo Magisterio in S. Theologia ad effectum retinendi Præbendam theologalem in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

*Sess. 24. Cap. 13. De Reform.*

SIGNINA UNIONIS. Pertinent ad patronatum Fratrum Lauri nempe Sacerdotis Laurentii, Octavii, & Gregorii quatuor Cappellaniæ, sive simplicia Beneficia in Cathedrali Ecclesia Signina erecta, quorum alterum nun-

nuncupatum S. Bernardino, & S. Mariæ Angelorum, alterum Divo Hieronimo possidetur a Sacerdote Laurentio; tertium vero sub invocatione S. Joannis Baptistæ, & quartum S. Joseph tenet Clericus Marianus dictorum Fratruum Lauri Nepos. Horum Beneficiorum latet fundatio inter antiquitatis tenebras, cum ante annum 1500. jam erecta fuisse constet, & incenso publico tabulario fundationes perierunt, unde ignoratur qui fundi ad singulas Cappellanias addicti essent. Ex prædiis tamen, quæ indiscriminatim pertinent ad hæc Beneficia redeunt annua scuta 62., & ex his implenda sunt onera Missarum 299. & alia quatuor cum cantu; præterea vectigalia persolvi debent, & expensæ pro manutentione Cappellarum. Cum redditus impares essent oneribus, Fratres Lauri postularunt tum reductionem onerum tum etiam, ut duo beneficia S. Bernardini, & S. Hieronymi unirentur beneficio S. Joannis Baptistæ, quæ duo beneficia unienda cum possideantur a SacrdoteLaurentio Lauri, hic assentitur unioni, dummodo post sui obitum effectum habeat. Episcopus narrata confirmans utriusque istantiæ suffragatus est. Itaque *die* 17. *Decembris* 1807. rescriptum prodiit *Pro gratia reductionis arbitrio, & conscientiæ Episcopi ad taxam Concilii Romani, & ponatur in Tabella; quo vero ad unionem ponatur in Folio*.

De unione nunc tantum quæritur: Obstare quidem ei videtur juris dispositio, que ad perficiendam beneficiorum unionem requirit causam necessariam, & utilem, & consensum eorum, quorum interest ut post *Tex. in Can.* 49. *Caus.* 26. *quæst.* 1. *Cap. Tua nuper De his, quæ fiunt a Prælat.* definivit *S. Congregatio in Forosempronien. Translationis Parœciæ, & Applicationis* 19. *Decembris* 1801. *& in Eugubina Unionis* 23. *Januarii* 1802. Quamquam in re nostra unioni assentiantur tum Beneficiati, tum Patroni, attamen nulla subest necessaria causa, & utilis Ecclesiæ, cum unio petatur in commodum Beneficiatorum, & Ecclesia ex unione amittat duo beneficia, atque ubi unio vergit in damnum Ecclesiæ eam semper S. Congregatio rejecit in *Leopoldien Unionis* 1. *Septembris* 1736. Verum agitur de tenuissimis beneficiis, quæ majoribus, quam par sit, gravantur one-

oneribus, ut difficile sit invenire, qui ea consequi velit. Nullum porro præjudicium fit Ecclesiæ, cum non agatur de Beneficiis residentialibus, sed mere simplicibus, quorum possessores nullum servitium præstant Ecclesiæ; nil certe ex unione Ecclesia amittit, cum onera Missarum beneficiis inhærentia æque implenda sint. Quatenus EE. VV. placeat unionem decernere, tum *modus* adiiciendus erit, ut locum habeat post obitum, vel renunciationem possessoris, & impletis oneribus.

Dubium proponitur.

*An, & quomodo sit locus unioni in casu &c.*

*Sess.22.Cap.6. De Reform.*

SPOLETANA SUSSIDII DOTALIS. Postremæ voluntatis Benigni Benigni Civis Vissani hæc summa est: hæredem ex asse instituit Communitatem Vissi, ejusque moderatoribus jussit, ut ex fructibus hæreditariis certa quotannis daretur quantitas sacrario Ecclesiæ Collegiatæ, reliquum erogaretur in subsidiis dotalibus, quæ inter puellas Vissi & proximæ Villæ *Vallupæ* distribuerentur: modum distributionis præscripsit, ut cum ex fructibuus hæreditariis collecta esset summa scutorum *septingentum* id proclamaretur in Oppido *Vissi*, & Villæ *Vallupa*, ut puellæ pauperes, quæ in ea essent ætate, qua vel Deo se vovere, vel viro se jungere possent, ad subsidium dotale concurrerent, & sorte ducerentur quatuor, ex quibus duo, quæ monasticam vitam elegerent, consequerentur singulæ dotem scutorum *tercentum*, duo vero quæ viro nuberent subsidium scutorum *quinquaginta* unaquæque perciperet; voluit tandem, ut subsidia, quæ revertentur, in cumulum cederent Dotium distribuendarum. Et hisce subsidiis alterum scu-

scutorum 300. consequta est Anna Bernardina Evangelisti, quæ cum inter Moniales recepta non esset, exoravit ex Pontificio Rescripto, ut fructum illius subsidii consequeretur, licet in seculo maneret. Antequam vero occumberet Anna Bernardina hoc subsidium cessit Nepoti suæ Luciæ Evangelisti utropue parente orbatæ, & in ætate annorum *novem* constitutæ, quæ SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO supplicavit pro adprobatione dictæ cessionis, & collatione subsidii dotalis, nec non perceptione fructuum, prout Amitæ indultum pro gratia fuerat. Delegatis precibus ad S. hancCongregationem audita est Sententia Eminentissimi Episcopi, qui narrata confirmans refert Collatores omnino instantiæ repugnare ex rationibus inferius recensendis, ipse vero putat *differendam esse gratiam ad tempus magis congruum, magisque opportunum, qua de sua vocatione Oratrix quoddam habere valeat fundamentum.*

Nititur Oratrix cessione sibi ab amita facta, sua paupertate, & exemplis aliarum cessionum. Nam cum Anna Bernardina ex Rescripto Sanctissimi obtinuerit, ut subsidium jam obtentum retinere posset, quoad ipsa viveret, atque ex eo fructus percipere, illud cessit Nepti, antequam in cumulum hæreditatis reverteretur. Quare adprobanda saltem nunc sit eadem cessio, attenta paupertate ejusdem Oratricis, quæ utroque parente orbata est, maxime cum non deficiant exempla ex quibus constat hæc subsidia cessa, & translata fuisse. Contra hæc opponunt collatores Annam Bernardinam nullum jus ex Rescripto Pontificio quæsivisse super subsidio dotali, ut in aliam illud transferre posset. Hoc tantum impetrasse, ut vita durante ejusdem fructus consequeretur. Quare, cum ipsa Anna Bernardina defuncta jus omne resolutum est, & subsidium ex voluntate fundatoris ejus hæreditati accrescere debet.

Neque Oratrici ex integro conferri potest subsidium. Nam ipsa non habet ætatem, ut statuere possit, num Monasticam, sive secularem vitam sequi malit, ac propterea non habet requisita, ut subsidium consequi possit. Maxime cum hæc collatio omnino contraria sit legibus fundationis, quæ præscribit, ut puellæ sorte ducantur, & præjudicium faceret cæteris puellis, quæ ea ætate sunt,

& con-

& conditione, ut subsidia consequi possint. Exempla vero in contrarium adducta non respiciunt Dotes Fundationis Benigni, sed Rosati, & parum referre dicunt collatores cum ex peculiari gratia concessæ cessiones subsidiorum ad exemplum adduci nequeant,

Dubium proponitur,

*An sit probanda cessio Subsidii dotalis, seu favore cessionariæ ex integro sit facienda collatio in casu &c.*

*Die*

*Die Sabbathi 27. Maii 1809. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

PERUSINA DISPENSATIONIS.
*An sit concedenda Dispensatio a suscipiendo Magisterio in Sac. Theologia ad effectum retinendi præbendam theologalem in casu &c.*

*Sess. 5. cap. 1. de Reform.*

Affirmative in casu de quo agitur.

SIGNINA UNIONIS.
*An, & quomodo sit locus unioni in casu &c.*

*Ses. 24. cap. 13 de Reform.*

Affirmative post obitum, vel resignationem Sacerdotis Laurentii Lauri firmis omnibus oneribus ad formam fundationum, & Rescripti diei 17. Decembris 1808.

SPOLETANA SUBSIDII DOTALIS.
*An sit probanda cessio subsidii dotalis, seu favore cessionariæ ex integro sit facienda collatio in casu &c.*

*Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Negative in omnibus.

*Sess. 21. cap. 5. de Reform.*

ROMANA MATRICITATIS. Quæ diu seculo XV. miseram flagarunt Italiam cruenta bella; cessarunt tandem opera S M. Sixti IV. qui dissidentes Principum animos ad pacem, tranquillitatemque revocavit. Id quod cum S. Pontifex immortali beneficio B. M. Virginis retulisset acceptum, ante cujus Iconem, quæ tum in Porticu S. Andreæ de Urbe venerabatur, assiduas pro impetranda tranquillitate fuserat preces, statuit eodem loco Templum ornatius erigere, atque ex accepto beneficio Templum S. Mariæ Pacis nuncupare. Itaque a fundamentis templum hoc excitavit, atque *partem* Ecclesiæ S. Andreæ *in Fabricam dicti Templi coaptari* fecit; partem vero *pro majori perfectione operis demoliri, ejusque materiam, & lapides altarium in novum templum transferri*. Iisdem utitur verbis laudatus Pontifex in litteris Apostolicis datis *anno* 1483., in quibus Parrochialem Ecclesiam S. Andreæ de Urbe (quæ inter filiales Basilicæ S. Laurentii in Damaso recensebatur in Bulla Urbani III.) una cum Templo S. Mariæ Pacis exemit *ab omni superioritate, & visitatione, & dominio Diaconi Cardinalis Tituli S. Laurentii in Damaso*, atque erexit in Monasterium Congregationis Canonicorum Lateranensium una cum Præpositura, quæ Dignitas foret Conventualis = *Quodque ut Præpositus, & Canonici pro tempore in Monasterio & Congregatione hujusmodi existentes, se commodius sustentare, & onera eidem Monasterio pro tempore incumbentia facilius preferre valeant, Templum, & Monasterium prædicta ab ejus primeva erectione vacans cum olim Ecclesia S. Andreæ præfata, omnibus juribus, & pertinentiis suis, nec non paramentis, jocalibus, & aliis rebus ad usum divinum deputatis præsentibus, & futuris Congregationi Lateranensi Canonicorum prædictorum &c. in perpetuum concedimus, damus, unimus, quoque annectimus incorporamus, atque appropriamus*.

Nuper Canonici Lateranenses recesserunt ab hoc Monasterio, & curam animarum cesserunt. Orta hinc controversia est inter Eñum Titularem S. Laurentii in Damaso, & Eñum Vicarium, quorum ille reviviscere jura matricitatis Basilicæ S. Laurentii putat post cessionem Canonicorum Lateranensium; Iste vero omnino extincta esse censet, atque ad suam ordinariam jurisdictionem transisse. Delegata a SSño cognitione hujus controver-

siæ

siæ ad S. Congregationem, rogata est sententia utriusque, atque unus, & alter in transmissis *Informationibus* propriam jurisdictionem defendit. Utrinque impressæ distribuentur *allegationes*, quarum hæc summa sunt capita.

I. Dubium respicit controversiam super jure matricitatis, quod sibi vindicat Emus Titularis S. Laurentii. Nulla dubitatio subest, quin Ecclesia illa vetus S. Andreæ de Urbe (quæ etiam appellabatur *S. Andreæ de Fovea*, seu *Aquarenariorum*, seu *Incaricariorum* ceu tradit *Episcopus Fonseca de Basilica S. Laurentii Lib.* 3. *Cap.* 66.) recenseretur inter Filiales Ecclesias S. Laurentii in Constitutione Urbani III. data *anno* 1186. quæ incipit *Apostolicæ sublimitas*. Certum æque est, quod vetus illa Ecclesia partim innexa fuerit novo Templo S. Mariæ Pacis, partim demolita, & Parrochialia jura *unita, annexa, & in corporata* novæ Ecclesiæ, quæ una cum veteri Ecclesia S. Andreæ exempta fuit ab omni subjectione Emi Titularis S. Laurentii, & data Canonicis Lateranensibus quemadmodum constat ex Litteris Apostolicis Sixti IV. datis anni 1483. quarum initium *Redemptoris nostri*. Eo itaque redit controversia omnis, utrum, postquam Canonici Lateranenses ab ea Ecclesia recesserunt, & jura sibi concessa cesserunt, reviviscat jus matricitatis quo olim Basilica S. Laerentii super veteri incorporata Ecclesia S. Andreæ fruebatur, & super novo Templo S. Mariæ Pacis exerceri possit.

Utrumque mordicus defendit Emus Titularis S. Laurentii. Nam contendit quod Sixtus IV. numquam extinxerit jura matricitatis, sed tantum ab eis exemptionem concesserit Canonicis Lateranensibus, quorum intuitu Monasterium erexerat. Hoc suadere studet pluribus argumentis petitis tum ex *littera*; tum ex *spiritu* ipsius Constitutionis Sixtinæ. *Primo* quia in hac Constitutione numquam adhibitum fuit vocabulum *suppressionis*, sed *unionis*, *annexionis*, *incorporationis* ut ex authentico sumptu ex Archivio Vaticano ostenditur. *Secundo* quia laudatus Pontifex exemit Ecclesiam a superioritate Emi Titularis, sed non a jure dominii, quo fruebatur Basilica S. Laurentii super illa Ecclesia S. Andreæ, quæ erat in suo territorio. *Tertio* quia exemptio hujusmodi non fuit privilegium *reale* concessum novo templo S. Mariæ

Pacis, sed *personale* indultum tributum Canonicis Lateranensibus, qui in Monasterio habitare, aut in Ecclesia Jura Parrochialia exercere debebant. *Quarto* quia caussi finalis hujus exemptionis ea fuit, quia Sixtus IV. Canonicos Lateranenses in illo Monasterio constituit, quosque, ut libere jura parrochialia exercerent, liberos esse oportebat a jurisdictione Emi Titularis.

Hisce ex interpretatione Constitutionis Sistinæ stabilitis, arguit Eminentissimus Titularis, quod si finalis causa exemptionis fuit institutio Monasterii Canonicorum Lateranensium in Templo Pacis; jam si isti a Monasterio recesserunt, resolvi debeat unio, dum, ut est *in Cap.* 60. *de Appellat* = *Cessante causa effectum quoque cessare debet* = & in *Cap.* 1. *De Reg. Jur.* = *Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur*. Hinc veluti jure postliminii (quod obtinet etiam in juribus incorporalibus, ut *ex Can.* 13. *Caus.* 16, *quæst:* 3.) ad sua jura redisse contendit Eminentissimus Titularis. Nam Sixtus IV. nullam exemptionem realem novo Templo concessit, sed personalem Canonicis Lateranensibus; non extinxit dominium, quod habebat Basilica S. Laurentii in Damaso super filiali Ecclesia S. Andreæ, sed eam exemit a subjectione Titularis, atque idcirco manente dominio Basilicæ Laurentianæ, & cessante privilegio personalis exemptionis Canonicorum Lateranensium, redit postliminii jure Basilica S. Laurentii ad suum dominium, & Eminentissimus Titularis ad suam superioritatem, quorum utrumque, vigente privilegio Canonicorum, erat suspensum.

Pergit porro Eminentissimus Titularis ad demonstrandum, quod hæc jura Matricitatis super novo templo S. Mariæ Pacis exercere possit. Nam *materialis* Ecclesia S. Andreæ non omnino disjecta fuit, sed partim in novum templum *coaptata*, & *formalis* Ecclesia omnino servata apparet. Non enim Sixtus IV. novam Paræciam in templo S. Mariæ Pacis erexit, atque instituit, sed vetus Parrochialis novo Templo univit, atque incorporavit. Quare si super formali Ecclesia reviviscere possunt jura Matricitatis Basilicæ S. Laurentii, nil morandum est, si status Ecclesiæ materialis immutatus fuerit. Quod, si compertum est omnibus, dissoluta unione res ad eam redire conditionem, in qua erant ante unionem ad tradita per

Fa-

*Fagnan. in Cap. Novit Tit. Ne sed. vacan. num.*43. profecto emigratis Canonicis Lateranensibus, cum cesset unio, & exemptio, redit Parrochialis Ecclesia, quæ est in Templo Pacis ad antiqua jura subjectionis, & reviviscunt jura Matricitatis Basilicæ S. Laurentii, licet vetus Parœcia in novo Templo maneat.

Hinc Eminentissimus Titularis sibi viam sternit ad alteram partem Dubii, in qua de *modo* quæritur, quo nunc ab eo super Templo Pacis exercenda sit jurisdictio. Nihil sibi obesse putat, vel quod Eminentissimus Vicarius habeat, qua Ordinarius Urbis, jurisdictionem super omnibus Ecclesiis in suo territorio existentibus, vel quod Templum S. Mariæ Pacis proprium habeat Titularem. Nam contendit quod Templum S. Mariæ Pacis non sit in Territorio Eminentissimi Vicarii, sed in separato Territorio Basilicæ S. Laurentii, atque in hoc Territorio sibi esse ordinariam jurisdictionem, & superioritatem a jure concessam in *in Cap.* 11. *de Majoritat.*, *& obedien.* in quo Honorius III. rescribit Cardinali Titulari, & Capitulo S. Laurentii in Damaso = *De his, quæ pro Ecclesia S. Laurentii in Damaso ex parte tua, & Cappellanis tibi subditis ex altera super scrutinio, manuali obedientia, correctione, interdicto, & excommunicatione, aliisque articulis fuerunt cor. Nobis proposita diligenter audivimus, sententiando decernimus, ut earumdem Cappellarum Præsbiteri, & Clerici Cardinali, qui nunc est in ipsa Ecclesia, & pro tempore erit, manualem obedientiam, & reverentiam exhibeant, & ad Ecclesiam ipsam pro scrutinio, Baptismo, & Capitulo celebrandis conveniant temporibus consuetis, correctionem ipsius Cardinalis sucipientes humiliter, & excomunicationis, & interdicti, vel suspensionis Sententias, quas tulerit in eos, & Ecclesias eorumdem inviolabiliter observantes*. Neque de hac jurisdictione quidquam detrahit, si Titulus Cardinalitius in Ecclesia S. Mariæ Pacis postea institutus fuerit. Ex hac enim recentiori institutione nihil derogatum fuit primævis juribus Matricitatis Basilicæ S. Laurentii, quæ exercentur in filialibus Ecclesiis *S. Thomæ in Parione*, *& S. Agnetis in Agonali*, licet in his æque Tituli Cardinalitii existant.

Ex his sibi vindicat Eminentissimus Titularis super Templo S. Mariæ Pacis illam jurisdictionem, quæ Matrix Ec-

Ecclesia in Filiales exercet, quæque exercenda est ad normam *allegat Cap.* 11. *de Majorit.*, *& obed.*, ac propterea amovendum esse a Templo S. Mariæ Pacis Fontem Baptismalem. Nam licet Pius V. fontem hunc dederit illi Ecclesiæ; attamen hæc concessio facta est, cum suspensa essent jura Matricitatis S. Laurentii in Damaso, & exempta Ecclesia S. Mariæ Pacis. Quare resoluta exemptione, si cætera matricitatis jura reintegrantur, etiam hoc jus quoad fontem Baptismalem reviviscere debet.

Eminentissimus Vicarius e contra ita se habet in sua Allegatione ad vindicandam suam ordinariam jurisdictionem super templo S. Mariæ Pacis. Cum semper præsumptio faveat libertati Ecclesiæ ad *Text. in Cap.* 1. *Si de feud. defunct. cont. sit*, *& Rota cor. Emerix dec.* 1123. *num.* 3., *& in Recen. dec.* 61. *num.* 2. *part.* 9., *& dec.* 150. *num.* 9. *part.* 17., tum maxime si per longævum tempus *tercentum viginti quinque* annorum libera fuerit ab omni matricitatis jure. Hæc enim longæva possessio confirmat præsumptionem juris, quæ stat pro libertate, ac tollit omnem servitutem, qua Ecclesia initio subjecta esse poterat, cum sola *centenaria*, & multo magis *tercentenaria* secumferat omnes meliores titulos, quibus præsumatur, vel quod Ecclesia numquam subjecta fuerit, vel quod jure in libertatem vindicata sit, ut apposite *Rota decis.* 96. *num.* 27. *tom.* 1. *coram Veri*. Nihil propterea esse ait, quod Basilica S. Laurentii haberet jura matricitatis super veteri Ecclesia S. Andreæ, quodque hæc jura reviviscant super Templo S. Mariæ Pacis. Non enim quærendum est de initio, quoties superaccessit longæva possessio, quæ omnes pro asserenda libertate Ecclesiæ idoneos titulos affert.

Cæterum Eminus Vicarius refutare studet id, quod opponitur, jura matricitatis reviviscere super Templo S. Mariæ Pacis, & quod unio Parrochialis Ecclesiæ facta sit, & exemptio concessa intuitu Canonicorum Lateranensium. Nam Ecclesia S. Andreæ eversa fuit, & novum templum a fundamentis ædificatum. Quare jus illud matricitatis, quod Basilica S. Laurentii habebat in Ecclesia S. Andreæ omnino extinctum fuit, nec quid ex eo restat quod super novo Templo exerceri possit. *Parrochialitas* vero licet unita fuit novo templo, attamen hæc unio, & exemptio numquam facta, & concessa

fuit

fuit intuitu Canonicorum Lateranensium, sed ipsius Ecclesiæ denuo extructæ.

Id vero probatur, tum ex natura rei, tum ex voluntate Pontificis. Nihil enim repugnabat, quod Regulares Canonici subiicerentur juribus matricitatis Basilicæ S. Laurentii, quemadmodum Ecclesiæ ejusdem Basilicæ filiales S. Nicolai ad Cesarinos, S. Mariæ in Monticellis, S. Mariæ in Monterone, quantumvis Regularibus concessæ, manserunt tamen sub jurisdictione Basilicæ Laurentianæ. Repugnabat vero, quod novum Templum S. Mariæ Pacis ære proprio a Sixto IV. erectum maneret sub aliena jurisdictione, ut propterea unio, & exemptio facta, dataque sit non intuitu Canonicorum, sed ipsius Templi. Reque vera laudatus Pontifex non erexit novum Templum intuitu Canonicorum, sed eosdem Canonicos selegit, qui Templi custodiam, diviniq. cultus curam haberent. Atque ex verbis ipsius Constitutionis patet, quod honor, splendor, & dignitas novi Templi, ei præcipue cordi fuit, atque idcirco illud exemit a dominio, & Superioritate Titularis S. Laurentii, atque ita exemptum tradidit Canonicis Lateranensibus, ac propterea concludit Emus Vicarius, quod unio, & exemptio sit *realis*, & ipsi Templo infixa, non *personalis* intuitu Canonicorum Lateranensium; ac propterea licet emigrarint iidem Canonici non resolvitur exemptio, nec jura matricitatis reviviscunt, quæ extincta omnino fuerunt.

Ex his deducit Emus Vicarius, quod extranea sit quæstio de unione, num dissoluta nunc sit, & unitæ res ad suas redeant qualitates. Nam inter duas Ecclesias nulla esse potuit unio, cum illa S. Andreæ prorsus demolita fuerit. Unio vero Parrochialis esse non potuit æque principalis, sed subjectiva, ac proinde attenditur tantum qualitas principalis ut docent *Barbos. de Episc. allegat.6. num.32. Pignattel. consult. 223. n. 16. Rota decis. 773. num. 5. part. 18. Recen. Decis. 96. num. 8. cor. Molines.*

II. Dubium respicit circumscriptionem possessionis, quæ contenditur data novo Parocho pendente citatione: Sed hæc controversia ad tramites boni juris dirimenda videtur.

Duo proponuntur Dubia

I. *An*

I. *An constet de jure matricitatis, ità ut, & quomodo sit exercenda jurisdictio in casu &c.*

Et quatenus *affirmativè*

II. *An sit locus circumscriptioni possessionis in casu &c.*

Non proposita

*Sess. 21. cap. 2. de Reform.*

ROMANA EXEQUTIONIS OBLIGATIONIS. Post tumultum præteritum cum Nosocomia Urbis summa laborarent rei familiaris angustia, eisdem applicata fuere bona Sodalitiorum, quæ tempore sedicentis Reipublicæ suppressa fuere. Quamquam Delegatus Apostolicus Rm̃us Episcopus Isaurensis, nunc Em̃us, & Rm̃us Cardinalis De Petro huic applicationi assentitus fuisset; attamen consuluit melius futurum, si ex bonis Sodalitiorum certa pecuniæ quantitas Nosocomiis daretur quotannis potius, quam eadem Sodalitia bonorum possessione privarentur. Ita factum est, atque inter Ven. Archiospitale SSm̃i Salvatoris ad Sancta Sanctorum, & Ven. Archiconfraternitatem S. Mariæ Carmeli (vulgo ut dicitur *alle tre Cannelle*) conventum fuit, ut hæc illi annua scuta 60. rependeret, quæ conventio ex Rescripto S. hujus Congregationis diei 27. *Septembris* 1800 probata fuit, sed detrectante Archiconfraternitate conventam summam rependere Ven. Archiospitale ad sequestra processit. Verum Sodales rem omnem transegerunt cum Em̃o, & Rm̃o Cardinali Pignattellio Archiospitalis Visitatore scripta Apoca *die* 5. *Aprilis anni* 1801. in qua diminuta fuit annua præstatio ad *scuta* 42., atque conventa resolutio hujus obligationis, si Sodalitium per tres menses moram solutioni faceret. Plura addita fuere pacta inter quæ illud, ut Archiconfraternitas impleret onera legatorum, dotium, & *dei debiti, che potesse aver contratti.*

Apo-

Apocha hujusmodi fuit exequtioni commissa, & Archiconfraternitas plures solutiones fecit, sed cum debitrix liquidata sit ad mensem Martium proxime præteritum in scutis 216. 53., V. Archiospithale fructus bonorum Archiconfraternitatis sub sequestro posuit. Reclamavit Archiconfraternitas ad Sacratissimum Principem, & gravem sibi esse contendit susceptam obligationem, atque annuam præstationem *scutorum* 42., cum præsentes redditus oneribus sint impares. Itaque ex Decreto diei 2. *Augusti* 1808. ab R. P. D. Auditore SSmi remissa est controversia super exequtione obligationis ad Sac. hanc Congregationem, atque ex alio decreto *diei* 4. *sequentis Octobris* alia item instantia super revocatione sequestrorum. Utraque quæstio sub duobus separatis dubiis proponitur.

Negat Ven. Archiconfraternitas (quæ cum expensis sit impar, mihi in scriptis exhibuit sua jura, quæ Vobis referrem) exequendam esse obligationem ex falsa causa, & errore susceptam, ut habetur ex *Text. in Leg. Cum falsa Cod. de jur.*, *&* *fact. ignorant Leg. Per errorem ff. de Jurisdict.* Causam vero, cur conventa fuerit annua præstatio *scutorum* 42., eam fuisse contendit, ut ex ipsa Apocha habetur = *si venne al trattato di un giusto, e proporzionato mensual assegnamento, che in vista delle vendite non meno che dello stato passivo della sudetta Archiconfraternita potesse questa pagare al sudetto Ven. Archiospedale, e dopo un lungo esame fù di unanime consenso stabilita la somma di scudi* 42. *all' anno*. Hanc vero quantitatem idcirco conventam fuisse dicit, quia ex initis ratiociniis apparebat annuos redditus Archiconfraternitatis consistere in annuis *scutis* 251. 47.½, onera vero in annuis scutis 182. 75., itaut libera supererant Archiconfraternitati annua *scuta* 68. 73.½ ex quibus conventa scuta 42. quotannis præstari poterant.

Erratum vero fuisse in hac calculatione ostendere studet Archiconfraternitas in ratiociniis nunc exhibitis. Nam diminuit redditus ob diminutas pensiones domorum ad annua *scuta* 235. 37. ½; auget vero expensas & onera ad annua *scuta* 261. 04. ½, hinc fit ut Archiconfraternitati deficiant annua *scuta* 25. 67.

Ex

Ex his concludit, quod aut fraudandi sint Creditores ipsius Archiconfraternitatis, & negligenda Ecclesiae manutentio, aut reducenda annua praestatio Archiospitali ex conventione rependenda. At injustum est fraudare creditores, & minus aequum Ecclesiae manutentionem negligere, ac propterea Archiconfraternitas postulat, ut exequenda sit suscepta obligatio subductis prius annuis oneribus *legatorum*, *creditorum*, *& manutentionis Ecclesiae*. Nam sive omnia bona Archiconfraternitatis favore Archiospitalis applicentur, sive omnes redditus maneant obligati pro hac annua praestatione; certum esse contendit, quod actum erit de Archiconfraternitate, perinde ac si suppressa foret, nisi per Archiospitale illi tantum tribuatur, quantum necesse est implendis oneribus, & manutentioni ipsius Ecclesiae, & Archiconfraternitatis.

Haec omnia refutare satagit Ven. Archiospitale in *Allegatione* quam impressam EE. VV. distribuet. Nam contendit causam finalem suscipiendae obligationis fuisse, ut Archiconfraternitas retineret bona quae applicata erant Archiospitali. Id deducit tum ex *littera* tum ex *spiritu* ipsius Apocae, ex qua apparet nil aliud actum inter contrahentes nisi, ut certam annuam quantitatem statuerent, atque rependerent Archiospitali, ut hic sequestro renunciaret, & bonorum possessionem Sodalitio relinqueret. Ex eo vero, quod actum est, causa finalis erumpit, quae ad contrahendum impulit ut post *Text. in Leg. si cum filiusfam.* 2. §. *Titio ff. de donat. Leg. semper in stipulat. ff. de Rejudicat.* tradit Rota *decis.* 1320. *num.*7. *part.*17. *& in Romana Transactionis* 2. *Julii* 1759. §. 4. *coram Vicecomite*, *& in Romana Legati* 26. *Martii* 1784. §.6. *coram Origo*. Quare cum haec fuerit causa finalis, quae vera, & probata manet, falsum esse dicit, quod ex falsa causa irritanda sit suscepta obligatio. Neque finalis causa reponenda est in quantitate redituum, quae tum, cum scripta est Apoca, percipiebat Sodalitium. Nam ad summum dici potest, quod quantitas illa redituum fuerit causa *occasionalis*, quae licet cesset, aut deficiat, naturam obligationis immutare non potest,

ut

ut docet Rota *in Alatrina Donationis* 24. *Novembris* 1752. §.4. *cor. Caprara*.

Pergit porro *Allegatio* Ven. Archiospitalis ad demonstrandum quod nullus error tum irrepserit in calculatione redditum Confraternitatis. Nam in novo calculo redditus diminuitur in annuis *scutis* 16. 10., ita ut licet hæc diminutio vera sit, attamen ex scutis annuis 68. quæ in primo calculo libera supererant Archiconfraternitati, tantum reliquum est, unde conventa summa Archiospitali rependi potest. Neque probanda est major quantitas onerum, quæ in novo calculo adnotatur. Nam si Sodalibus placuit augere expensas pro manutentione Ecclesiæ, & stipendia accrescere, non idcirco ex hoc irrita fieri potuit suscepta obligatio, Hinc concludit, quod si rependere nequit Archiconfraternitas conventam præstationem, reddat bona, super quibus potiora habet jura Archiospitale, quam cæteri posteriores creditores, cum bona illa Archiospitali jam applicata fuerint, & intuitu conventæ præstationis illorum bonorum possessionem Archiconfraternitati reliquerit.

Alterum Dubium respicit sequestra, quæ Ven. Archiospitale servanda esse contendit, quoad de suo credito satisfactum fuerit. Contra Archiconfraternitas removenda esse dicit, ne inexactæ maneant pensiones, quæ a miserabilibus personis solvuntur, quæ fiunt solvendo impares: ita tamen exigendos esse reditus per Sodalitii Exactorem, ut impletis oneribus, quod superest Ven. Archiospitali tradatur.

Duo proponuntur Dubia.

I. *An, & quomodo sit locus exequtioni obligationis in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus remotioni sequestrorum in casu &c.*

Ad I. & II. Dilata, & ad D. Secretarium ad Mentem.

*Sess. 21. cap. 6. de Reform.*

SUTRINA. Oppidum Montisrani, quod Feudum est inclitæ Gentis de Alteriis populo non adeo frequens, sed agri latitudine dives, unus regebat Parochus Archipresbitiri nomine insignitus. Sequiori ævo cum plures in agro ædificatæ sint domus in ea agri Montisrani parte, quæ dicitur *Canale*, & *Montevirginio* duo constitutæ fuere novæ Pareciæ in iis locis, reservata Archipræsbitero Montisrani responsione unius rubri frumenti, quæ pro dimidiis partibus a Parochis, & Canalis Montis Virginii rependuntur. Cum vero Oppidum Montisrani ab æris inclementiam desertum omnino fuerit, ut Patres Servitæ dereliquerint Conventum, & Ecclesiam D. Bonaventuræ in eo Oppido dicatam, Princeps Palutius Altieri impetravit ex Rescripto hujus Sac. Congregationis *die 26. Septembris* 1803., ut onera Missarum transferrentur ad Ecclesiam Parochialem Oppidi Canalis. Nunc vero in Terra Montisrani vix pauci pastores inhabitant, & ipse Princeps Altieri suas ædes Baronales, aliasque domus destruxit. Accedit etiam, quod postremis hisce temporibus obiit Archipræsbiter Montisrani, hinc Princeps Palutius Altieri, qui jam a Sac. Congregatione super negociis Episcoporum, & Regularium proposita impetravit facultatem demoliendi Ecclesiam, & Cænobium S. Bonaventuræ (in quo erant olim Patres Servitæ, qui illud deserverunt) & alias ædes ad loca pia pertinentes cum onere investiendi pretium cæmentorum, nunc postulat suppressionem Paræciæ Montisrani, ejusque reddituum applicationem partim Parocho Orioli (quod Feudum est in Diæcesi Viterbiensi situm) partim Parocho Canalis, & Montis Virginii. Episcopus Sutrinus rogatus de sua Sententia favet suppressini Paræciæ Montisrani, cum *dispersis ovibus frustra ovili vacuo præficeretur pastor*, & modum etiam proponit inferius recensendum, quo applicatio reddituum supprimendæ Paræciæ facienda sit.

Suppressoini quidem beneficiorum, & præcipue parrochialium repugnant S. Canones *in leg. Majoribus* 8. *De præbend.*, sed tamen ex justa, & necessaria causa permitti posest ut post *Text. in Cap. Vacante* 26. *De Præben.* docet *Reiffenstuel. Jus Canon. Lib.*3. *Decret. tit.*12. §. 2. *num.*34. Necessitas in casu concurrere videtur, cum Paræ-

ræcia habitatoribus sit vacua, nec rursus frequentari potest destructis ædibus. Frustra itaque præficeretur pastor ovili post dispersas oves, & melius futurum esse videtur, si redditus applicentur convicinis Parochis apud quos confugerunt oves a Paræcia Montisrani desilientes. Quare hæc necessitas justam præbet causam, ut Paræcia Montisrani supprimatur, cum potissimum Episcopus huic suppressioni assentiatur.

De modo autem applicandi redditus accuratius agit Episcopus in sua *Informatione* = *De redditibus itaque dicendum ejusdem Parrochialis Ecclesiæ Præbendæ. Constituuntur hi a novem Rubris frumenti, & duodecim cadis vini, cujus vini loco taxata in præsentiarum sunt scuta octodecim, quæ omnia ab Excmā Domo de Alteriis præcipua, & libera subministrantur. His addendum aliud frumenti rubrum, quod a duobus Parochis Canalis nempe, & Montis Virginii subministrantur, ac tandem alii octo circiter cadi musti ex quadam vinea a Josepho Renzi retenta provenientes.*

*Porro ex hujusmodi redditibus optaret Princeps Orator partem aliquam adiungere Archipræsbiteratui Terræ Orioli item sui Feudi, licet in alia finittima Viterbiensi Diœcesi. Nec æquidem dissentior; Sed in primis consulendum videtur duabus Parœciis Canalis, & Montis Virginii, ad quas Montisrani incolæ plerumque se receperunt, præcipue vero Archipresbitero Canalis, cui, utpote viciniori, cura & onus superaddi debebit totius territori supprimendæ Pareciæ cum æquum non sit absque aliquo emolumento novum illi onus imponere. Eo vel maxime, quod cum necessarium sit, ut saltem campestrium curarum tempore in Ecclesia olim Parrochiali Montisrani diebus festis Missa celebretur pro ruricolarum commoditate; celebratio hujusmodi per unum ex duobus Sacerdotibus Terræ Canalis, quæ est locus propinquior, erit peragenda.*

*Itaque Parochiæ Montisrani redditus novem rubrorum frumenti, si ad certam numeratam pecuniam redigi placuerit, ad rationem scutoram sex pro quolibet frumenti rubro, sicuti prælaudatus Princeps arbitratur, summam componerent scutorum 54. additisque aliis scutis 18. ex subministratione vini, integer census exurgeret*

ret scutorum 72., minime tamen comprehensis octo cadis multi, quos superius innui ex vini responsione derivantes, & illo frumenti rubro, quod a duobus aliis Parochis tradebatur.

Atque hic obiter oritur dubium, an teneantur in posterum Parochi illi Canalis, & Montis Virginii, sicut antea, pro rata frumentum solvere. Negant ipsi; quia per suppressionem Parœciæ Montisrani cesset causa subministrationis. Quod & mihi quidem consonum rationi videtur.

Taxatis igitur redditibus in scutis 72., facile conserem ex his scuta 30. Archipresbiterali Præbendæ Terræ Orioli posse adjudicari & ex residualibus scuta 20. Parocho Montis Virginii, ac reliqua 22. Parocho Canalis. Cumque in Monte Virginio adsint Cappellanus de jurepatronatu laicali, pensum habens celebrationis quarumdam Missarum, huic propterea enunciata scuta 20. adsignari poterunt a Parocho ea lege, ut sibi in cura animarum opem ferre teneatur. Et similiter in Terra Canalis cum duo alii Cappellani existant, quos nominandi jus habet Princeps, hinc uni ex illis superaddi poterunt supradicta scuta 22., imposita illi obligatione non modo coadiuvandi Parochum in animarum cura, sed etiam se conferendi ad Ecclesiam Montisrani certis temporibus, ut ruricolæ in illius Territorio cultura laborantes die festo Sacro possint interesse. Responsio autem octo cadorum musti cedere debebit in tenuem licet compensationem Archipresbiteri Canalis, in quem totum supprimendæ Parœciæ onus recidet.

Quod si censuerint EE. VV. enunciatam novem Rubrorum frumenti quantitatem in specie, ut hactenus factum est, fore tradendam, vel frumentum ipsum majori taxato pretio estimandum, hoc in casu, debita servata proportione, posset unicuique ex tribus Parochis portio peculiaris assignari, vel ex pretio emolumentum accrescere.

Præbendæ Parrochiali Montisrani nullum inerat Missarum onus iis exceptis, quæ diebus festis pro Populo sunt celebrandæ. Onera vero perpetua Missarum locis piis illius Terræ imposita ad Ecclesiam Parrochialem Canalis fuerunt translata.

Ex

Ex his habent EE. PP. unde dirimere possint Dubium.
*An, & quomodo sit locus suppressioni Pareciæ Montisrani, ejusque reddituum applicationi in casu &c.*

Dilata, & Scribatur Episcopo juxta mentem: Mens est, ut Episcopus referat, quo titulo teneatur Orator ad præstationem novem rubrorum frumenti favore Paræciæ Montisrani, & qua de causa idem Episcopus consensum præstiterit subministrationi ratæ ejusdem frumenti favore Archipræsbiteratus Orioli alterius Diæcesis.

*Sess. 14. Cap. 7. de Reform.*

JADREN. IRREGULARITATIS. Orta rixa inter consobrinos Presbiterum Simeonem Rakar Parochum Villæ Sale, & Natalem Brumetta, cum ille in calore iracundiæ elevasset baculum, ut percuteret Natalem, & hic manu baculum tenuisset, ut percussionem vitaret, Parochus extracto stylo in baculo incluso ( solent enim rustici illius regionis hujus generis baculos gestare, quo se a canibus defendant ) in fæmore dextero Brumetta vulneravit. Statim consenuit ira, & consanguinitatis charitas successit, atque rixantes consobrini osculo pacis complexi inter se Nicolaus veniam dedit Parocho, & hic illum in civitatem Jadræ traduxit, ut curationem vulneris faceret, sed paucos post dies Natalis occubuit. Statim in Parochum quæstio constituta est, & Periti qui corpus defuncti inspexerunt, testati sunt vulnus inflictum fuisse *senza pericolo di vita*, & Medicus, qui vulnerato adfuit, affirmat, occubuisse *da febbre perniciosa*. Nihilominus damnatus fuit, & relegatus in conventu S. Francisci Civitatis Jadræ, in quo mansit usque ad annum 1806., in quo impetrata venia a Sororibus defuncti, & composito Fisco e Conventu, & a pæna dimissus est. Nunc vero postquam per octo annos suspensus fuit a divinis implorat dispensationem ab irregularitate, ut Sacro Missæ Sacrificio operari possit. Vicarius Capitularis narrata confirmat, & putat Natalem Brumetta *ex inflicto vulnere* obiisse, sed Sententiam suam non aperit super dispensatione ab irregularitate.

Incertum videtur utrum occissus ex vulnere obierit. Affir=

firmat id Vicarius Capitularis, periti vero qui inspexerunt corpus defuncti, testantur vulnus illatum fuisse *senza pericolo di vita* & Medicus mortem derivat *da febre perniciosa*. Ex quibus coniici potest, quod vulnus saltem excitaverit febrim, unde defunctus abreptus est. Utcumque vero homicidium non fuerit ex industria factum, & calore potius rixæ, & præter intentionem commissum; attamen aperta est juris Canonici Sanctio *in Can. Quia te* 38. *Distin.* 50. in quo cavetur = *Si Præsbiter ira commotus aliquem interfecerit, etsi animum occidendi non habuerit, perpetuo tamen depositus erit.* Cujus Sanctionis ratio habetur *in sequent. Can. studeat.* 39. *distin.* 50. = *Quoniam etsi voluntatem occidendi non habuerit, furor tamen, & indignatio, ex quibus motio illa mortifera prodiit, in omnibus, & præcipue in Dei Ministris multipliciter inhibetur, atque damnatur.* Quæ eo magis in casu retinenda videntur, quia Parochus erat armatus (licet casu, & numquam ut rixam faceret) & elevato baculo provocavit Natalem, qui erat inermis, nec Parochus propterea quidquam ab eo timere poterat.

Quoniam vero *iracundia ab omni consilio mentem deturbat, ut dum qnis irascitur inasanire credatur*, ut ait *Divus Hieronimus in Epist. ad Decensium* ex hoc ipso aliqua indulgentia adhibenda videtur Oratori, qui cum occiso pacem statim iniit, qui jam pænam subiit, compositionem a Fisco, & Sororibus defuncti obtinuit, qui suspensus fuit per octennium, & per sexennium in religiosa domo moratus est. Hisce concurrentibus S. Congregatio dispensationem concessit *in Montis Falisci* 6. *Junii* 1739. *in Januen.* 28. *Januarii* 1741. *in Agrien. Irregularitatis* 31. *Martii* 1770. . Cum tamen agatur de Præsbitero videant EE. PP. num adiiciendus sit modus *dummodo non celebret in loco commissi delicti*, quemadmodum alias fecit S. Congregatio *in Virdunen. Dispensationis ab Irregularitate* 2. *Augusti* 1760.

Dubium proponitur.

*An, & quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Affirmative dummodo non celebret in loco commissit delicti, quatenus judicio Ordinarii scandalum obvenire possit. VE-

*Sess. 24. Cap. 12. de Reform.*

VELITERNA. Præsbyter Dominicus Gigli ordinatus fuit ad titulum unius ex quatuor Beneficiis, quæ, ex fundatoris nomine appellantur *del Giudice*, quæque in Cathedrali Vilitrensi erecta chorale servitium requirunt. Singula hæc beneficia olim habebant redditus in annuis sc. *quinquaginta* compr hensis distributionibus, sed ob cessatam in parte solutionem fructuum Locorum Montium, in quibus fundus Beneficiorum omnis consistit, vix dant nunc annua scuta *viginti*. Hac de causa chorale servitium ad dies tantum festos reductum est, quo indulto parce usus est Beneficiatus Gigli. Nam cum in Seminario Viliterno maneret studiorum causa, servitium obivit diebus festis, & aliis ferialibus, in quibus, a studiis vacabat. Nunc studiorum cursu absoluto, vellet Romam concedere, ut jure civili operam det, atque ex hoc studio sibi querat, unde vivere possit, cum redditus Beneficii ei non sufficiant, ac propterea indultum absentiæ implorat. Capituium instantiæ favet, & suffragatur Emus Episcopus in sua Informatione = *Satis*, inquit, *patere arbitror, quam æqua spe obtinendi petitam indulgentiam fulciatur Orator. Non enim tenetur propriis stipendiis, immo nec potest, cum hæc quoque deficiant, militare.*

Juris rigore inspecto nulla sane subest legitima causa, cur, ut a choro, & residentia absit, Oratori indulgeri possit. Siquidem nec *infirmitas* subest, nec *urgens corporalis necesshtas*, nec *Ecclesia utilitas*, quæ causæ ad concedendam absentiam probatæ sunt a Bonifacio VIII. *in Cap.unic.de Cleric. non residen. in Sexto*, & a Concilio Tridentino *Sess. 24.cap. 12. de Reform.* Neque legitima est causa studiorum,aut tenuitatis præbendæ. Nam Orator jam in Seminario Viliterno cursum studiorum absolvit, nec juris civilis scientia, qua nunc augeri cupit Orator, necessaria est, licet utilis, ecclesiasticam vitam profitentibus. Tenuitas vero præbendæ non liberat ab onere residentiæ, & servitii, sed efficit, ut onus servitii reduci possit, id quod Creator jam consequutus est. Videant tamenEE. PP.num attentis circumstantiis aliqua sit habenda æquitatis ratio.NamOrator ex fructibus beneficii (quorum exactio licet non omnino cessavit, retardata tamen est) vivere non potest, nec Beneficio renuncia-

ciare, cum ad ejus titulum ordinatus sit. Quare attento consensu Capituli & Emi Episcopi ad aliquod tempus concedi eidem posset indultum absentiæ, ut Orator suis interea necessitatibus consulat.

Dubium proponitur.

*An, & ad quod tempus concedendum sit indultum absentiæ in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

*Sess. 14. Cap. 7. de Reform.*

TRICARICEN. IRREGULARITATIS. Anno 1807. turba latronum armatorum per agrum Terræ *Acceptureæ* excurrens, omniaque cæde, incendiis, rapinis vastans die 18. Junii repressa est, & fugata a militia civica illius Oppidi. Quod cum delatum esset illius habitatoribus, simul narratum est latrones illos, ubi se in fugam conjecerunt, plura reliquisse spolia ex rapinis convatata. Nocte itaque insequenti Subdiaconus Joseph Abbate una cum aliis tribus sociis ad eum locum sese contulerunt, ut, si quæ invenissent derelicta, sibi applicaret. Hac tamen spe frustrati invenerunt tres latrones dormientes. Hinc contentio orta est, utrum illos occidere deberent nec ne, qua quidem in contentione tacitus se continuit Subdiaconus Abbate neque suasit, neque impedivit deliberationem, quam, cæteri cæperunt, advocandi scilicet legionarios milites, qui advenientes unum ex latronibus (nam alii duo e somno expergefacti profugerunt) statim militari exequutione interfecerunt. Hujus occisioni interfuit Subdiaconus Abbate sclopo armatus, sed nullam in ea partem habuit, immo recusavit tradere balistam igneam uni ex presentibus, qui in latronem mortis sententiam pandiderat. Nunc vero cum ad Diaconatus Ordinem promoveri cupiat, dispensationem ab irregularitate implorat.

Vi-

Vicarius Capitularis in sua *Informatione* exponit ea, quæ narrata sunt. Addit = *quod ad compositionem partis, & fisci attinet, cum in præsenti casu agatur de homicidio non simplici arbitrio privatorum hominum patrato, sed jussu Legis præcipientis latronum omnium impune exterminium, nihil est quod super prædicta compositione reponam. Quæ hactenus EE. VV. significanda duxi tum ex attestationibus Archipræsbiteri, & Vicarii Foranei dictæ Terræ Accepturæ; tum ex confessione ipsius Oratoris erui. Bonis moribus mihi videtur imbutus Orator, & Ecclesiæ servitio assiduus ita ut a Senioribus Cathedralis Ecclesiæ hujus Civitatis, & ab ipso præfato Archipræsbitero mihi fuerit commendatus. Pœnitentiam quoque, ut arbitror, sufficienter salutarem peregit. Nam in Subdiaconatus Ordine per quatuor annos, totidemque menses permansit, ad Diaconatus vero ordinem usque adhuc non est promotus, nec promovendus, nisi prius a S. Congregatione dispensationem ab irregularitate obtinuerit. Hæc autem fateri possum, quod Orator octo abhinc mensibus, quibus immoratur in Monasterio Patrum Conventualium hujus Civitatis, bonæ vitæ monumenta præstiterit.*

Sane orator neminem voluntarie occidit, & licet occisioni interfuerit, causam homicidio dedisse non videtur. Nam quando deliberatum est, utrum latrones dormientes occidendi essent, quando advocati fuerunt legionarii milites, ipse tacitus se gessit, neque occisionem suasit. Verum ipse interfuit occisioni, neque impedivit, ut Ecclesiasticum decebat, quominus occisio committeretur, id quod est contra spiritum lenitatis. Præterea ipse interfuit homicidio, ut daret operam rei illicitæ. Nam accessit, ut spolia a latronibus derelicta sibi applicaret, accessit quoque curiositate motus, ut occisionem videret. Quare licet nec in causa homicidium voluntarium sit; attamen contracta videtur irregularitas ex eo, quod homicidio interfuit dando operam rei illicitæ, quo casu contrahitur irregularitas licet homicidium præter intentionem sequatur, ut *ad Text. in Cap. Suscepimus. De Homicid.* docet *Fagnan. in Cap. Quidam de Homicid. num.*2. Pro concedenda vero dispensatione faciunt boni Oratoris mores, assiduum Ecclesiæ servitium, com-

 men-

mendatio Seniorum Capituli, pœnitentia peracta per octo menses in religiosa domo, quibus concurrentibus videtur indulgenda dispensatio, ut alias concessit S. Congregatio *in Tridentina Irregularitatis* 27. *Martii* 1784. *& in Brigantin. Irregularitatis* 6. *Maii* 1786. *& in Nullius Caven. Irregularitatis* 24. *Novembris* 1792. Dubium proponitur.

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

## *FOLIUM*

## *R. P. D. SECRETARII*

## *IN CAUSA SENEN. MATRIMONII.*

Causa hæc proposita fuit die 18. Junii 1808. *pag.* 95. & reproposita in Congregatione *die* 27. *Maii* 1809., ob temporum discrimina relata non fuit in *Folio* typis impresso, sed distributum fuit EE. PP. *Folium Manuscriptum*, quod nunc primum in lucem prodiit, atque hic subiicitur.

*Die* 27. *Maii* 1809.

SENEN. MATRIMONII Cum multa in hac Causa liberius dicenda fint, quam conditio tempora ferat, idcirco *Folium* ad Manus EE. PP. distribuitur, prudentique silentio concreditur, Causæ hujus historia habetur ex *Folio* Congregationis *diei* 28. *Februarii* 1807. in qua, cum Conjuges Petrus Boninsegni, & Anna Brancadori junctis suis postulassent Dispensationem super Matrimonio rato, & non consumato; Duo proposita fuere Dubia. *I. An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* & quatenus *Negative II. An sit consulendum SSmo pro Dispensatione super Matrimonio rato, & non consumato in casu &c.* quibus responsum fuit = *Dilata, & esse locum Triennali, ad quem effectum Emus Archiepiscopus cogat Virum remediis Canonicis.*

*Sess.* 24. *Cap.* 1. *De Reform.*

*Die* 4. *subsequti Aprilis* apud Acta Curiæ Archiepiscopalis Senensis Anna Brancadori professa est, velle se Rescripto SacræCongregationis obsequi, instetitque, ut *terminus* præstitueretur Petro Boninsegni, quo declararet numquid vellet, an non *Cohabitationi Triennali* operam dare. At contra Petrus Boninsegni postquam ei iterum, iterumque, & tertio dicta fuerit dies, penes acta declaravit, nolle se experimentum triennale subire; Sed curationi se operaturum, quam Medicus *Lodoli*, & Chirurgus *Semensi* ( iidem, qui tamquam Periti Judiciales corpus viri inspexerunt ) præscripsissent. Repu-

*Anna Perini*.

pugnavit Anna huic declarationi, & institit poscere executionem Rescripti Sac. Congregationis; sed frustra; cum Petrus producto *Voto* Medicorum, qui censebant, eumdem facere debere curationem procul a cohabitatione cum Uxore, impetraverit a Curia Archiepiscopali Decretum *diei* 11. *Maii* 1807. = *Dichiarò l'esperimento della Coabitazione Triennale all' effetto per cui è stato ordinato dalla Sagra Congregazione, essersi dovuto, e doversi intendere incominciato dall' infrascritto giorno, e doversi parimente reputare continuato, durante il tempo della Cura, e sino a nuovo Decreto, non ostante la materiale abitazione de' medesimi Signori Conjugi in luoghi diversi* =.

Mensibus fere quatuor interpositis, scilicet de mense *Septembris* 1807. Petrus Boninsegni apud Acta jurans professus est, se curationem juxta ac Medici præscripserant, inutili successu fecisse, cum ita testantibus Medicis, eadem imbecillitate laboraret; postulavitque; ut a Medico *Lodoli*, & Chirurgo *Semensi* corpus suum recognosceretur. Nihilominus quod Defensor Matrimonii ex officio postulasset exequutionem Rescripti Sacræ Congregationis pro Experimento Triennali, secus censuit Curia Archiepiscopalis, quæ jussit, Peritos *Lodoli*, & *Semensi* referre de sequuta curatione, de habitu Corporis Petri Boninsegni, & de ejus potentia, vel inertia. Atque Periti subjecti quæstionibus testatum fecerunt inutilem successisse curationem, atque vitium Paralisis, quod in genitalibus Petri detexerant, ejusmodi esse, ut neque remediis vinci possit, neque ex eo sperandum utile futurum experimentum *trienualis habitationis*.

Hæc quæ gesta sunt in Curia Archiepiscopali Senensi narravit Anna Perini in Precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO oblatis, postulans = *a dispensarla dal Matrimonio predetto rato soltanto, e non consumato* = Verum ex Rescripto *diei* 28. *Novembris* 1807. = *Sanctissimus rejecit instantiam, & firmo remanente Decreto Sacræ Congregationis* 28. *Februarii proxime præteriti, mandavit, in reliquis Oratricem uti jure suo in eadem Sacra Congregatione*.

Reproposita Causa in Congregatione diei 18. Junii, rogati-

gatique EE. PP. *An sit standum , vel recedendum a Decisis* = persisterunt = *In Decisis* = Itaque die 20. *Septembris* 1808. Anna Brancadori citato Procuratore Petri Boninsegni , & Defensore Matrimonii , instetit pro *Præfixione Termini* viro suo , ut exequutioni committeret Decretum Sacræ Congregationis *diei* 28. *Februarii* 1807. aliter relaxarentur Censuræ ; Atque Emus Archiepiscopus *terminum octo dierum* præfixit . Quæ *termini præfixio* iisdem citatis iterum facta fuit die 3. *Octobris* , & tertio die 14. *Octobris* ; At cum semper contumax fuisset Petrus Boninsegni , die 3. *Novembris* instetit Anna Perini pro relaxione Censurarum . Emus Archiepiscopus in re tam gravi , prudentiæ suæ existimavit esse a Decreto ferendo supersedere , & Vos EE. PP. consulere , quod sibi faciendum esset .

Epistola Emi Archiepiscopi diei 19. Novembris 1808. hæc habet .

„ In vigore degl' Ordini della Sagra Congregazione non „ si é mancato di fare le trine legali citazioni colle „ fulminazioni delle pene Canoniche ai Conjugi . Per „ la parte della Mòglie si sono esse sempre accettate „ colla protesta di voler obbedire ; Non così è stato per „ la parte dello Sposo , che ha ricusato in certa maniera „ di accettare le Citazioni , rilasciate per altro al di „ lui legittimo Procuratore . Ma dall' altro canto ha „ dato sempre ordine al detto Procuratore , che in ca- „ so si volesse andare più avanti nella Causa , egli si „ appellasse ai nuovi Tribunali Laici , e protestasse „ contro l' illegittimità del Foro Ecclesiastico , e di vo- „ ler esser giudicato dalle Leggi del nuovo Codice . „ Il di lui Procuratore mi ha presentato questa let- „ tera del suo Principale , che Io ho sospeso di far por- „ re negli Atti prima di aver sentito il parere nel ca- „ so della *S.* Congregazione . Credo inutile di fare le „ riflessioni delle conseguenze , che potrebbono forse „ avvenire; onde sempre più sono in dovere di atten- „ dere le ulteriori Loro risoluzioni „

Hisce litteris perlectis in Congregatione diei 17. *Decembris* 1898. respondi per privatam epistolam ex mente hujus S. Congregationis transmissam die 31. Decembris præteriti,scilicet :

„ Li

„ Li miei EE. PP. trovano , che qualunque variazione
„ possa intervenire nelle Leggi Civili per gli effetti
„ civili , ogni Cattolico è soggetto per gli effetti spi-
„ rituali alla Chiesa , e non potrà alla sua coscienza
„ provvedere , che uniformandosi alle Leggi di questa.
„ Essendo però troppo deplorabile il caso di chi spon-
„ taneamente si stacca dalla S. Madre Chiesa , la qua-
„ le vorrebbe salvi tutti li suoi figli , sarà perciò con-
„ sentaneo ai sentimenti di questa , se malgrado lo
„ spreto di chi ha avuto la trina Monizione Canoni-
„ ca , si compiacerà V. Emenza di non trascurare d'in-
„ terporre Amici , Parenti , e tutte quelle Persone
„ probe , che possono richiamare *ad megliorem fru-
„ gem* , l'Uomo ostinato , facendogli conoscere il dan-
„ no dell' Anima propria , e che avrà sempre il rim-
„ provero della coscienza per il torto , che fa alla mo-
„ glie , cui preclude la via di esser giudicata dalla
„ Chiesa , cui è ricorsa . Se dopo poi aver tentato
„ ogni mezzo , e calcate tutte le vie di ottenere l in-
„ tento , sarà l' Uomo inflessibile si degni V. E. di ren-
„ der di tutto 'intesa la Sagra Congregazione , onde
„ possa questa prendere le opportune determinazioni „
Mense elapso nimirum 30. *præteriti Januarii* Emus Archiepiscopus per privatam Epistolam significavit : Ho
„ infruttuosamente eseguito i suoi savj consigli col
„ porre de mezzi , onde questo Sig. Beninsegni ve-
„ nisse al suo dovere di riunirsi colla Signora Bran-
„ cadori sua Moglie , per eseguire la Triennale impo-
„ stagli dalla Sagra Congregazione . Siccome Egli si é
„ ritirato da Siena , vivendo nella Terra di *Rappola-
„ no* , e si é fatto poi eleggere *Maire* di quella Com-
„ munità ( il che secondo il novo sistema lo pone in
„ istato di non ricevere alcuna Citazione senza l' or-
„ dine del Governo ) così ho dovuto prendere altri
„ mezzi lontani , per fargli parlare . Fra questi ho
„ creduto l' ottimo l' Arciprete di quella Terra , sog-
„ getto di merito , ed a cui inviai una mia Lettera
„ che procurai scritta nel miglior tuono di persuasio-
„ ne , che mi fu possibile , e lettera , che di mia
„ Commissione Egli comunicò àl Signor Boninsegni .
„ L' Arciprete fece tutti i tentativi , e finalmente in-
„ dus-

„ dusse il medesimo Signor Boninsegni a dettare da
„ se stesso la risposta , che compiego in copia . In
„ questa si è esso guardato da proporre l' Appello ,
„ ed il ricorso ai Tribunali Laici , che con sue Let-
„ tere al suo Procuratore , e Ministro ho loro ordina-
„ to eseguirsi nel caso , che si andasse avanti nella
„ Causa : Lettere , che mi hanno essi fatto vedere .
„ Dipenderebbe quà da *Monsieur Chery* Procuratore
„ Imperiale , seggetto , che dimostra molta dottrina ,
„ e quello , che è più , molta Religione . Per questi
„ capi non avrei avuto difficoltà d' interpellarlo ; ma
„ sul timore di sbilanciarmi , e far torto alla Cause ,
„ ed ai Tribunali Ecclesiastici ancora con un ami-
„ chevole richiesta , me ne sono astenuto sin' ad ora,
„ attendendo intanto gl' ordini , che per di lei mezzo
„ imploro dalla S. Congregazione . „

Responsio vero a Petro Boninsegni data , de qua mentionem facit Eñus Archiepiscopus , habetur ex Epistola Archipresbyteri *Rappolani* die 24. *januarii* 1809.

„ Giovedì 19. andante ricevei il pregiatissimo Foglio
„ di V. E. , e nel Venerdì susseguente procurai di ab-
„ boccarmi col Signor Pietro Beninsegnj sul proposi-
„ to , di cui Ella m' incaricava , ed eccole le rispo-
„ ste , che ne riportai = *La Donazione fattami dal Zio*
„ *colla condizione , che io sposassi la Signora Anna*
„ *Brancadori è stata la cagione dell' esito infelice*
„ *del nostro matrimonio . Io sento un controgenio*
„ *deciso insuperabile per la Signora Anna Branca-*
„ *dori , senza che ella ve n' abbia alcuna colpa .*
„ *Questo controgenio fa sì , che io non sono , ne*
„ *sarò mai capace a consumare il Matrimonio con*
„ *Essa , mai il il medesimo tetto cuoprirà noi due*
„ *Fra me , e la Signora Anna Brancadori v' è*
„ *una barriera di bronzo ; senza cercare da me lo*
„ *sperimento Triennale , basti il tempo in cui ho*
„ *abitato con essa a convincere dalla mia impoten-*
„ *za relativa insuperabile . Tutto quello , che mi si*
„ *possa dire in contrario è buttato ; Le mie risoluzio-*
„ *ni sù tal proposito sono immutabili* = Ecco il risul-
„ tato del mio abboccamento , avrei potuto invitare il
„ Signor Pietro a dei virtuosi riflessi , avrei messo in

„ campo delle ragioni, ma il desiderio da esso espres-
„ samente mostratomi di non sentirle, me ne ha fatto
„ perdere il coraggio.

Cum hæc omnia vobis explorata fecissem, & novas præces Annæ Brancadori, quæ, quoniam per se non stetit, quominus Triennalis Cohabitationis experimentum perficeretur, postulabat ne repugnantia viri ei fraudi esset; Vos EE. PP. in *Congregatione* diei 18. *Martii* 1809. = censuistis ut de re tam trepida diligentissimum examen institueretur in *Folio* ad manus *distribuendo*. Ut Vestris mandatis obsequar, nonnulla pro meo munere observanda propno.

Quandoquidem Petrus Boninsegni audiens non fuit Decretis Sac. Congregationis, quibus interminata poena Censurarum compellebatur ad experimentum *triennalis habitationis*, neque judicialibus interpellationibus, quas omnino despexit, neque hortationibus, quibus Eminentissimus Archiepiscopus consulente hac Sac. Congregatione, & interposita persona probi Parochi excitandum curavit, ut ad bonam frugem rediret; certe quidem contumax est, cum potissimum apertis verbis negaverit, velle se periculum triennale subire, & rei maritali operam dare. Quare cum sperandum non sit futurum, ut ipse resipiscat; alterutrum decernendum videtur a S. Congregatione: Aut dispensatio Matrimonii, attenta contumacia viri: Aut relaxatio censurarum, attento despectu monitionum. Utrumque, ut verum fatear qraves secumfert difficultates, in quas tamquam in scopulos illidi potest, ac propterea ponderanda est deliberatio, ne in hac temporum iniquitate consilium imprudens, aut inconsideratum susceptum videatur.

Si sacrorum Canonum censuram consulamus; profecto ubi vir contumax sit, ad definitivam sententiam procedi potest, ubi agitur de nullitate Matrimonii ex notissimo *Tex. in Cap. Quoniam* 5. §. 1. *Ut lite non contestata* = ibi = Porro speciales causæ possunt occurre-
„ re, in quibus casualiter est observandum V. G. si
„ super alicujus electione, vel *Copula Maritali* quæ-
„ stio oriatur. Tunc enim, ne propter longam mo-
„ ram in spiritualibus, & temporalibus patiatur Ec-

„ cle-

,, clesia læsionem, *vel Viro*, sive *Mulieri præbea-*
,, *tur occasio fornicationis* in hujusmodi casibus, si
,, contumax apparuerit is in quem fuit actio dirigen-
,, da : sive quia *peremptoria Citatione recepta*, *veni-*
,, *re contemnit*; sive quia *malitiose se ipsum occultet*;
,, sive quia *impedit*, *ne possit ad eum citatio perve-*
,, *nire* testes lite non contestata sunt mesito recipien-
,, di, & nihilominus si de *CAUSA LIQUEAT*, *ad*
,, *definitivum sententiam* procedendum.

Hujus *Textus* censura, quamquam de causis nullitatis agat; attamen adhibita quoque fuit in causis Dispensationum, ut cognoscere poterunt EE. PP. ab exemplis, quæ inferius adducam. Ex littera porro ipsius *Textus DUO* requiruntur, scilicet *UT* Vir *Contumax sit*, *UT* de *Causa liqueat* quæ ubi explorata sint, tum solemne est inter Canonistas procedendum esse ad definitivam sententiam, ne mulieri ex contumacia viri fraus fiat, neu eidem occasio fornicationis præbeatur, ut observat *Gloss. in Cap.* 1. *Verb. Testes qui Matr. accus. poss.*, & docet *Schmalzgrueber Jus. Eccles. Tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 6. *num.* 9. *Leuren. in lib.* 2. *Decret. tit.* 6. *quæst.* 267. *num.* 1.

Contumax quidem est Petrus Boninsegni, qui post trinam interpellationem, atque idcirco *peremtoria citatione suscepta* recusavit aperte velle se obtemperare Decretis Sac. Congregationis, nec operam dare experimento triennali. Rursus nunc = *Si è* (ita testatur Reverendissimus Archiepiscopus) *ritirato da Siena*, *vivendo nella Terra di Rappolano*, *e si è fatto poi eleggere Mayre di quella Comunità il che secondo il nuovo sistema lo pone in stato di non ricevere alcuna Citazione senza l' ordine del Governo* = ac propterea malitiose se occultat, & impedit, quo minus possit ad eum citatio pervenire.

Utrum porro *de Causa liqueat* DUO investiganda sunt in hoc dispensationis judicio, scilicet: non sequuta consumatio & causa ad dispensandum idonea. *Primum* probat *Juramentum* a muliere interpositum de non sequuta consumatione, cui accessit *Juramentum* septimæ manus propinquorum ex parte mulieris. Concurrit *recognitio corporis* ipsius mulieris, ab obste-

tricibus facta, quæ una cum Peritis eamdem virginem judicarunt. Quæ si satis esse judicat GREGORIUS VIII. *in cap. Proposuisti de Probat.*, ut ex his concludatur illud *rectum Judicium*, quod ad probandum non sequutam consumationem requiritur *in cap. accepisti de Frigid.*, *& maleficiat.* multo sane magis in re præsenti sufficere videtur, cum concurrat *Juramentum* viri, qui & ipse asseverat non sequutam fuisse consumationem, & adstipulentur Testes qui affirmant, se ante expositam querelam, & a primis Nuptiarum diebus audivisse mulierem conquerentem de inutili copulæ successu, atque de viri inertiâ.

Causa vero cur dispensatio a Summo Pontifice concedenda sit, tota est in *impotentia* viri. Convenit autem inter omnes Canonistas, quod in hujusmodi dispensationum judiciis, probatio non debeat esse adeo rigida, qualis in judicio nullitatis requiritur. Sed talis, ut *moralem certitudinem* impotentiæ afferat. Si investigemus probationes judiciales, quæ ex *Processu* habentur, sive ex *confessione* Conjugum, sive ex Peritorum *judicio* petitæ, certe quidem ex his non habetur moralis illa certitudo, quæ impotentiam viri suadeat.

Nam ex confessione utriusque conjugis constat spatio duo de viginti mensium, quibus simul cubarunt, iterum tantum & tertio opus Maritale, sed frustra, ipsos tentasse. Quamquam id tribuant inertiæ viri; attamen Mulier fatetur aliquod potentiæ signum, cum fateatur = *non aveva una piena erezzione* = & vir non absolutam impotentiam declarat, sed = *una certa debolezza verso l'estremitá della verga* = Quare ex ipsa confessione Conjugum dubia multum apparet viri potentia.

Sin vero consulamus Judicium Peritorum Judicialium, Medicus *Lodoli* in prima recognitione refert vidisse Petrum = *di forte corporatura*, ejusque virilia = *in ottimo punto, e di conveniente consistenza* = atque eumdem judicat = *abile alla copula completa*. Chirurgus *Gambini* invenit Petrum hebere = *tutti i requisiti, che si richièdono in un uomo abile, e potente alla generazione* = atque censuit = *che sia abile con*

*una*

*una vergine ancora* = Tandem Phisicus *Sementi* concludit = *dalle visite ocularmente fatte, che il Signor Pietro potesse esser atto alla copula perfetta anche con una Vergine* .Quamquam vero iidem Periti *Lodoli*, & *Semensi* in secunda inspectione facta ex Rescripto Atchiepiscopi Senensis retulerint, Petrum laborare = *di una parziale paralisì* = , atque post adhibitam curationem judicarunt eumdem esse omnino impotentem; attamen ex hisce actis nulla legittima probatio erui potest, quippe quæ aperta nullitate laborent cum facta sint, inscia Sac. Congregatione, quæ jam præscripserat experimentum *triennalis cohabitationis*, ut suppleretur illa probatio impotentiæ, quæ ex actis judicialibus minime eruebatur. Neque ab hac deliberatione recessistis EE. PP. licet Petrus Beninsegni adhibita curatione per eosdem Peritos *Lodoli*, & *Semensi* probare studuisset vitio *paralysis* se esse affectum, quod nulla modo sanari, aut vincit potuerit.

Nunc vero cum Petrus recuset *experimentum triennale*, ex quo ejus potentia exploranda erat; inquirendum supeeest, num ex parte Mulieris *de Causa liqueat*. Certe quidem Mulier omnia præstitit, quæ a se facienda erant, ut dispensationem impetraret; Quod si comulatissima deficit probatio, id tribuendum est viri contumaciæ.

At dum *Text. in cap. Quoniam &c.* requirit, ut de *Causa liqueat*; certe interpretandum ita est. ut liqueat ex parte Mulieris; aliter inutilis futura esset illius Canonis providentia, cum vir supponitur contumax, vel nulla haberi possit ex eo probatio.

Reque vera si consulamus *Exempla*, ut antea dixi, concurrente contumacia viri, concessa est Dispensatio, licet de ejus potentia dubitaretur, nec concurreret ea probatio, quod ex parte viri requirebatur. In Causa *Januen. Matrimonii* inter Marchionem Paulum Spinola, & Marchionissam Mariam Brignole cum de potentia viri dubitaretur: S. Congregatio *die* 11. *Martii* 1783. jussit novam corporis viri recognitionem, a qua, cum refugisset Marchio Spinola, & contumax fuisset, dispensationem concessit *die* 16. *Augusti*, & 6. *Septembris* 1783. In altera *Januen. Matri-*

*trimonii* inter Bartholomeum Zolezzi, & Veronicam Repetti, acta in Congregatione particulari cui a Secretis interfui, adeo in hac causa dubia erat potentia viri, ut ipse numquam, licet citatus & monitus, nec examini, nec corporis recognitioni se subicere voluerit, ac proinde in ejus contumacia concessa fuit dispensatio *die* 28. *Augusti* 1807., *&* 12. *Aprilis* 1808. Quare si Petrus Boninsegni recusat experimentum triennale subire; unde impotentiæ probatio derivanda est; concedenda videtur dispensatio Annæ Brancadori, quemadmodum concessa fuit Marchionissæ Brignole, & Veronicæ Repetto, quarum viri recusarunt subire *recognitionem corporis*, unde impotentiæ probatio petebatur.

Nihilominus EE. PP. non diffiteor, hanc dispensationem exemplo esse posse perniciosissimam, sive conditio temporum, sive Causæ circumstantiæ inspiciantur. Etenim si dispensatio concedatur, ubi alteruter ex Conjugibus contumax sit, via sane sternitur, qua facilius quam par sit, dispensationem obtineant, & Jura Divina, alque Ecclesiastica ludificent. Et quamquam non ex novitate opinionum, sed ex *allegato Cap. Quoniam &c.* pateat hæc via, cum in contumaciam procedi possit ad definitivam sententiam; attamen in hac temporum iniquitate, in qua heu! nimis Disciplina Ecclesiastica novis civilibus legibus pessumdatur, Judex hanc viam lento inire pede debet, & tunc demum, cum ex contumacia unius, alteriusve Conjugis de ejus mala fide constet, qua idcirco latitat, ne causa cadat.

Profecto si ex vero rem æstimare velimus in utroque exemplo paulo ante allegato Causarum *Januensium* Viri aperte repugnabant Uxoribus, quominus dispensationem obtinerent, & tum solum contumaces fuerunt, cum S. Congregatio corporum recognitionem decreverit. Atque ex hoc ipso, quod a corporis recognitione refugerint viri illi, argui tuto poterat, quod inertia laborarent, a qua aliter non abhorruissent, si possent, suam potentiam ostendere, & in causa contra uxores obtinere. Secus tamen est in re nostra. Petrus Boninsegni non repugnat, sed juncto fœdere cum

uxo-

Uxore dispensationem postulat, non negat, sed fatetur, consumatum non fuisse matrimonium. Cum vero de ejus potentia, vel impotentia constare debet per experimentum triennale, ipse se occultat, & contumax fit. Ex quo certa suspjcio oriri posset de ejus Potentia. Nam si esset iners, non recusaret experimentum facere, cum inutile esset futurum, ac propterea si recusat timendum est, ne id faciat, ut suam potentiam occultet.

Quo Loci EE. PP. duo observent velim. *Primum* quod mulier fassa sit, virum suum, cum simul cubabant bis, & tertio repente thalamum reliquisse; de qua re, cum Mulier suscitaret causam, vir respondit = *d averlo fatto, perchè io l' aveva toccato* = Hinc conjectura erui potest, virum occultare suam potentiam, & vitare occasiones, in quibus ex condormitione provocabatur. *Alterum* observandum est, quod ipse, dum in responsionibus datis Parocho *Rapolani*, ut se a triennali excusaret, non affert causam absolutæ impotentiæ, sed = *io sento un controgenio deciso insuperabile per la Signora Brancadori questo controgenio fà si, che io non sono, nè sarò mai capace a consumare il matrimonio con essa. Mai il medesimo tetto coprirà noi due. senza cercare da me lo sperimento triennale, basti il tempo, in cui ho abitato con essa a convincere della mia impotenza relativa insuperabile*.

Hæc secum reputant EE. PP. quæ si eia minime suadeant, concedendam esse dispensationem; tum jure postulat Anna Brancadori, ut Censuræ relaxarentur, atque id etiam postularet Majestas hujus Sac. Congregationis, quæ si decrevit, ut vir cogeretur ad triennale experimentum sub pæna Censurarum; profecto reluctante Viro, relaxandæ essent Censuræ, ne frustra interminatæ videantur, & disciplinæ rigor, & Ecclesiæ auctoritas consenescat. Verumtamen præcavendum est ab iis, quæ evenire possunt in ea regione, in qua Leges Civiles jurisdictionem Ecclesiasticam conculcant, & usurpant. Eminentissimus Archiepiscopus observat Petrum Boninsegni pro suo munere ( *di Mayre* ) non posse citationibus compelli, nisi annuente Procuratore Imperiali, a quo pluri-

rimum sperat, sed absonum videtur, ut Jurisdictio Ecclesiastica per se Magistratui Civili subiiciatur, & nunc abest Eminentissimus Archiepiscopus, & mutata est illius Regionis conditio. Rursus timendum, ne si relaxentur Censurae, Petrus Boninsegni provocet ad Laicos Judices, & causam ab iis decidendam impetret. Hoc casu in maximam angustiam adduceretur Anna Brancadori, cum prae sua Religione in iis Tribunalibus sua Jura non deferret, & semper vinculo maritali constricta esset, licet vir ex Sententia Judicum Laicorum solutus esset.

In hac perplexitate rerum videant EE. PP., num ea capienda sit deliberatio, qua e tot difficultatibus erumpere possimus; ut scilicet nova Recognitio Corporis viri decernatur. Nam postquam a Curia Ecclesiastica Senensi permissa fuit Petro Boninsegni nova curatio, hac absoluta Phisici *Lodoli*, & *Semanzi* (iidem qui tamquam Periti Judiciales corpus Petri inspexerunt) subjecti a Defensore Matrimonii in illa Curia Deputati quaestionibus affirmarunt. *La buona conformazione delle parti* (ita respondit Phisicus Lodoli) *genitali esterne del Signor Boninsegni, e gli altri riscontri di virilità, che si marcano nel di lui corpo, non escludono in conto alcuno una malattia locale delle parti genitali, che ne impedisce la erezzione, e questo appartiene alla Paralisi. Per torre questo vizio non sono giovati i sopraindicati rimedi, che riconosco per li più efficaci, e sicuri; Se non sono giovati, essendo stati unicamente amministrati in una stagione la più convenienie, e nell' età la più florida, tanto meno credo, che possano giovare in altro tempo, e che se questi sono riusciti inoperosi, molto più saranno gli altri, che li credo di minor forza. E' innegabile, che il controgenio sia una potente causa da produrre la mancanza di erezzione; ma in questo caso, in cui doveva questa risvegliarsi in virtù de forti stimoli locali con gl' interni apprestatigli, essendo mancata; chiaro dimostrasi, che non dal controgenio, ma dal vizio fisico interno delle parti inservienti alla generazione, deve ripetersi.*

Et consonat alter Phisicus. *Che essendo stata eseguita la sopraindicata cura da noi reputaea la più efficace con ogni*

*ogni possibile diligenza, e cautela e per un tempo più, che sufficiente senza mai aver ottenuto la erezzione, siamo di sentimento, che il detto vizio sia invincibile, ed inutile sia per riuscire ogni altro medico tentativo; e che essendo questo, come in realtà esiste, si renda anche inutile il fare ulteriore esperimento colla moglie, dichiarandolo affatto inabile per la consumazione del matrimonio*. Quamquam acta omnia post Rescriptum Sac. Congregationis decernens *triennale experimentum*, in Curia Archiepiscopali Senensi gesta, aperta nullitate laborent, cum Archiepiscopus, tamquam exequutor non poterat novam curationem, & corporis recognitionem decernere; Attamen si acta probationem legittimam non constituunt, utpote nullitate infecta; non idcirco ex hisce actis nullis veritas, & naturalis probatio deduci non potest. Quare si novæ curationes, & recognitio non faciunt probationem legalem, ut ex eis de impotentia Judicium ferri possit, dant saltem conjecturam de Impotentia, ad hoc ut nova, & legittima probatio fieri debeat.

Neque hæc nova recognitio decerni non potest, quia jam Sac. Congregatio jussit experimentum triennale. Nam ex hoc experimento eruenda est probatio Impotentiæ, quæ nunc dubia est. Si igitur gravissimæ subsunt difficultates, ex quibus hoc experimentum exequi nequeat, potius sequenda videtur via, quæ minus impedita sit, & ad eumdem terminum ducit, ut potentia, vel impotentia explorata sit. Aut igitur ex nova recognitione (quæ fiet meliori modo pro temporum conditione) habebitur probatio impotentiæ, & tuto concedi posset dispensatio, aut secus, & tum ducentur dies, ut meliori (si Deus concedat) tempore opportuna deliberatio suscipi possit.

Hæc pro meo munere. Quæ cum explorata fecissem tum Defensori Annæ Brancadori, tum Defensori Matrimonii ex officio, ut si quid vellent mihi deducerent, quod vobis referrem. Hic aperte professus est, se reclamare velle a quacumque *Resolutione œconomice* suscepta; cum geminæ Sac. Congregationes *Resolutiones* stare debeant, nisi servatis servandis, & exhibitis actis Curiæ Archiepiscopalis revocentur. Defensor vero Annæ instat, &

orat pro Dispensatione, ne diutius vexetur Puella insons ab omni culpa. Observat quod Periti Judiciales fassi sint in prima inspectione, quod vitium Paralysis latere potest sub membris *bene conformatis*, atque exteriori aspectu ad generationem aptis. Addit quod exemplum superius allatum in causa *Jannen.* inter *Spinola*, & *Brignole* multum conferre debeat ad dispensationem concedendam, cum in illo casu vir renuens cogi potuisset ad exequutionem Rescripti Sac. Congregationis, & nihilominus Sac. ipsa Congregatio, attenta contumacia, processit ed dispensationem concedendam. Atque idcirco multo magis concedi debeat in re præsenti, cum pro conditione temporum vir cogi nequeat, & omne damnum ex hac contumacia in Mulierem redundaret. Tandem inutilem esse dicit novam Inspectionem, cum licet ex ea comperiatur potentia viri; Attamen obstinato erit animo quominus ad officia conjugalia redeat.

Pro vestra Sapientia, & Prudentia, statuite quid deliberandum sit.

Dubium Proponitur

*An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.*

Dilata, & fiat nova recognitio Corporis Viri, & ad mentem,

# JNDEX
# RESOLUTIONUM
## *Quæ prodierunt in Causis in S. Congreg. Concilii annis 1808., & 1809. propositis.*

## A



## C



## D

# E



# H



# I

## L



## M

## O



## P

# R

# S

# T



# U



F I N I S.

# INDEX CONCLUSIONUM.

## *Quæ adnotatæ sunt in Foliis Causarum annorum 1808., & 1809.*

*Prior nummerus indicat annum, alter paginam, tertius paragraphum.*

## CONGRUA



## CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ

JUS PATRONATUS

## TEXTUS CIVILES

FINIS.